



# **Renati des Cartes Mundus, sive Dissertatio de lumine et et de aliis objectis primariis**

<https://hdl.handle.net/1874/10224>

R. DES-CARTES

OPUSCULA  
POSTHUMA,

PHYSICA

ET

MATHEMATICA.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Prostant apud JANSSONIO - WAESBERGIO, BOOM,  
& GOETHALS.

M DCC I.



## C O N T E N T A.

1. *Mundus, sive Dissertatio de Lumine, ut & de aliis Sensuum Objectis primariis.*
2. *Tractatus de Mechanica cum Elucidationibus N. Poissonii.*
3. *N. Poissonii Elucidationes Physicae in Cartesii Musicae.*
4. *Regulae ad Directionem Ingenii, ut & Inquisitio Veritatis per Lumen Naturale.*
5. *Prime Cogitationes circa Generationem Animalium, & nonnulla de Saporibus.*
6. *Excerpta ex MSS. R. Des-Cartes.*



BENEVOLO  
LECTORI  
S. P.

Xhibemus Tibi h̄ic, B. L. nonnulla ex R. DES-CARTES Operibus Posthumis, partim prout erant Latina, partim è Gallico idiomate in Latinam Linguam conversa. De his ut paucula præfaremur, necesse duximus.

Primo loco *Mundus* occurrit, sive *Dissertatio de Lumine*, ut & de aliis *Sensuum Objectis Primariis*, quæ Gallicè conscripta duplii jam dum editione innotuerat, earumque primam expressit interpres, quamvis inter ambas exigua omnino differentia reperiatur, posteriorque uno dumtaxat, aut altero hinc inde vocabulo, ad intellectum rei ne tantillulum quidem facienti, auctior sit.

## P R A E F A T I O.

Hunc *Mundum* compendium solummodo, vel exiguum aliquod fragmentum esse celebris illius de *Mundo* Dissertationis, quam de infortunio, quod *Galilæo* evenerat, certior factus suppresebat, in *Compendio Vitæ R. Des-Cartes* (integram enim Historiam Vitæ nostri Philosophi, quod dolemus, inspicere non licuit) adfirmat *Bailletus*.

Proximè sequitur *Tractatus de Mechanicâ*, una cum *Elucidationibus Poissonii*, è Gallico sermone in *Latinum* translatus.

Hunc Tractatum re ipsâ non differre ab alio quopiam, qui ipsius post mortem periit, cuique nomen præfixum erat *Explicatio Machinarum*, a *Bailleto* iterum edocemur.

Subjunguntur, pariter ut in editione *Mechanices Gallicâ*, *N. Poissonii Elucidationes Physicæ in Cartesii Musicam*, quas ipsemet Poissonius Latinas edidit.

Quarto loco occurunt *Regulae ad directionem ingenii*, ut *Inquisitio Veritatis per Lumen Naturale*, quod planè purum, *& nullo implorato Religionis vel Philosophiae auxilio*, opiniones determinat, quas probum virum de omnibus rebus, quæ ejus cogitationibus obversari possunt, habere oportet, quodque in secreta curiosissimarum scientiarum penetrat.

## P R A E F A T I O.

De hisce *Bailletus*, qui sæpius nobis hîc ad partes vocandus, hæc habet; *Inter ea Scripta, quæ curâ D. Chanuti* (Galliae Regis tum temporis ad Reginam Sueciæ Christinam Oratoris) *ad Clerfelerii manus pervenerunt, nullum majoris momenti, nec forte elaboratus reperitur, quam Tratatus Latinus, qui Regulas ad dirigendum nostrum ingenium in inquirendâ Veritate continet: id saltem adfirmare possumus, nullum, ex quo major in publicum utilitas redundet, repertum iri. Trium illarum partium, ex quibus constare debuerat; primam tantum integrum, & secundam dumtaxat dimidiam habemus.*

Pergit porrò paullò inferiùs, etiam initia quædam alterius cuiusdam operis reperta sunt, quod Gallicè conscriptum erat, & quidem formâ Dialogi, nomenque illi impositum; Inquisitio Veritatis per Lumen Naturale, &c.

*Opus hoc in duas divisum erat partes, quarum prima res Mundi hujus in se spectatas, altera verò easdem, prout ad nos referuntur, & tamquam male vel bonæ, veræ vel false considerantur, perpendebat. Huc usque Bailletus.*

Hæc omnia excipiunt *Primæ Cogitationes circa Generationem Animalium, & Nonnulla de Sapientibus*, quæ, sicut erant, Latina, integra damus.

## P R A E F A T I O.

De hisce ne hilum quidem *Bailletus*, quamvis inter alia plurima *Cartesii* scripta Postuma, quæ recenset, etiam referat diversa fragmenta de naturâ & historiâ *Metallorum*, *Plantarum*, & **A N I M A L I U M.**

Quapropter cùm in *Admonitione ad Lectorem*, hisce *Primitis Cogitationibus* præfixâ, jam de iis egerimus, nec adhuc ecquid re verâ *Cartesii* sint nec ne, certiores simus, totaque nostra fides illius, qui eas ad nos transmisit, adsertioni innitatur, non est cur aliquid addamus, præterquam hoc unicum, scilicet, ipsummet *Cartesium Epist. 53. Part. 3<sup>e</sup>.* innuere, sc̄e *Tractatum de Animalibus meditari*, nec eum tum temporis potuisse adhucdum perfieere. Hunc autem eumdem cum hisce *Primitis Cogitationibus circa Generationem Animalium* esse nulli adfirmamus, quin potius **NON LIQUERE** pronuntiamus.

Tandem coronidis loco addidimus *Excerpta ex MSS. R. Des-Cartes*, quæ *Algebram* spētant, quæ fortè majoris cujusdam operis vel pars, vel specimen sunt. Meminit cujusdam *Algebrae*, quam adhuc in nonnullorum eruditorum Musæis adservari dicit, ut & *Introductionis* cujusdam, quæ fundamenta *Algebrae Cartesii* continet, quamque periusse credit, *Bailleus*

## P R A E F A T I O.

*tus* noster. Sed hæc esse alterutrius, vel utriusque Excerpta, quis est, qui pro certo adfirmaverit? Sufficerit tantummodo h̄ic admonuisse, priores aliquot paginas à Viro quodam harum rerum peritissimo esse emendatas, duasque novas ipsis figuræ additas, cætera verò ad fidem M S. esse edita.

Cæterūm, quandoquidem novam in Galliâ R. DES-CARTES operum editionem Gallico sermone adornari rumor est, eamque nonnullis præ nostrâ fragmentis, quæ ad nos nondum pervenerunt, auctiorem fore perhibent, hæc interim sistimus, & si quid alicujus momenti in illâ reperiatur, in Latinum Sermonem translatum h̄ic addere constituimus. Et profectò plura adhuc nostri Philosophi scripta alicubi latitare vix dubitamus, præsertim si toties nobis memorato *Bailleto* fides habenda sit. Narrat enim ille, præter varia super variis Matheſeos & Physices partibus opera, quæ solummodo incepta erant, nominibusque ab materiâ, de quâ agebant, planè alienis insignita, veluti *Parnassum*, *Olympica*, *Democritica*, *Thaumantidem Regiam*, &c. in scriniis Cartesii reperta esse *Compendium Scientiarum Mathematicarum purarum*, cui ultima nondum imposita manus erat, atque *Introductionem in Geometriam ipsius*, quam

## P R A E F A T I O.

quam tamen non tam ipsum Cartesium , quam  
quemdam ex ejus amicis auctorem agnoscere exi-  
stimat. Quin & meminit cujusdam operis , quod  
jam satis excreverat , cujusque amplum admodum  
fragmentum restat , titulo *Studii bonæ mentis* , id.  
que alicui ex amicis , qui sub nomine *Musæi* la-  
tet , dicatum erat . Verùm illa omnia vel aliqua  
ex iis repertumiri non adfirmare , sed sperare no-  
bis licet . Vale B. L. , & Laboribus nostris fa-  
vere perge .



RENA

R E N A T I D E S C A R T E S  
M U N D U S ,  
S I V E  
Dissertatio de  
L U M I N E.  
U T E T D E  
Aliis Sensuum Objectis Primariis.

# Ad L E C T O R E M.

 Ost interpositam plurium annorum moram, tandem Latino induita habitu publicâ luce fruitur hæc Nobilissimi Cartesii de Lumine dissertatio, cui jure meritoque inter Celeberrimi Viri scripta haud infimus debetur locus; cùm totius Ejusdem Philosophie Naturalis complectatur fundamenta, prodromus, ejusque sit compendium. In cuius versione buic præprimis operam dedit interpres, ut non minus Auctoris sententiae, quam Gallico satisfaceret tex-tui, habitâ non minus ratione sensus, quam verborum. Et quo magis Famigeratissimi Auctoris constaret mens, adscripta sunt in margine paral-lela loca, aliaque, ad illustrationem, meliorem-que sententiae Auctoris perceptionem, facientia. Frustra foret ad hujus scripti commendationem multis præfari, cùme o vivamus seculo, in quo ex-tra Cartesium sapere multis piaculum habetur, & ad commendationem librorum, quandoque vix bo-næ frugis aliquid complectentium, hoc unicum suf-ficere videatur, quod celeberrimi illius Viri no-mine tituli fulgeant, ejusdemque principiis conten-ta inniti dicantur. Est tamen quod præteriri ne-quit, hanc puta Dissertationem supplendis aliis in-servire aptam esse natam, cùm haud pauca con-

## Ad L E C T O R E M.

tineat quæ vel alibi non extant , aut obiter tan-  
tum & perfunctorie in aliis modo tradita sunt ;  
utque plurimum luminis hic de Lumine Tractatus  
ex aliis Clarissimi Cartesii scriptis feneratur , ita  
quoque plurimum confert , ad facilius , Auctoris-  
que menti convenienter intelligenda multa ab Eo-  
dem prodita . Tractatum hunc pro genuino Car-  
tesii fætu , quamvis imperfecto utcunque , cuique  
multa desunt , habendum esse , præter Scriptoris  
stilum evincit mentio ejus , quam non uno in loco  
injicit ipse Cartesius in Philosophiæ sue Principiis ,  
**Dissertatione de Methodo** , ac Epistolis . Mo-  
nendus Lector , ne difficultatem pariat , aut di-  
versis conceptibus efformandis occasionem præbeat  
vocabulorum variatio , in hoc Discursu frequen-  
tissime cœli nomine venire , quod alibi , præpri-  
mis in Principiis , vortex appellatur , utque huic  
succurreretur difficultati in hac versione , nonnun-  
quam cœli vocem exponi vorticis appellatione , illâ  
parenthesi inclusâ .

TRACTA-

T R A C T A T U S  
D E  
L U M I N E,  
U T E T  
De aliis sensuum objectis primariis.

C A P U T P R I M U M.

*De differentiâ sensuum, & rerum eos effientium.*



Um in animum induxerim hic de Lumine agere, in anteceßum monitum velim, differentiam observari posse inter perceptionem sensus, quæ in nobis datur; hoc est inter ideam, quæ intervenientibus oculis in nostrâ imaginatione formatur, & inter id quod est in objecto, hanc sensus perceptionem in nobis efficiente; sive quod in flamma, aut Sole Lumen dici solet. Quamvis enim unusquisque sibi vulgo persuadeat, quas in mente nostra habemus ideas per omnia esse similes objectis à quibus proveniunt, nullam tamen omnino rationem video, quæ veritatem ejus evincat: sed multa e contrario experimenta occurunt, quæ nos hac de re dubios reddunt.

Notum est verba, nullam cum rebus significatis similitudinem *vid. p. 4.* habentia, earum in nobis perceptionem efficere, etiam frequenter *Prince.* ubi ad vocabulorum sonum, aut illorum syllabas minimè attendimus: adeo ut evenire queat, ut auditio discursu, cuius sensum *§. 197.* exquisitè satis percepimus, referre nequeamus quâ fuerit lingua *Med. 3.* prolatu*Diopt.* Cum itaque verba, nil nisi ex hominum instituto sig- *cap. 23. §. 5.*

## T R A C T A T U S

2

nificantia , valeant efficere ut percipiamus res , nullatenus ipsis similes : quid ni æquè natura potuit instituere signum Luminis sensum in nobis efficiens , etiam si nihil sensui huic simile in se habeat ? Nonne risum & lachrymas natura instituit , quò ita gaudium & tristitiam in hominum facie quasi legendam præberet ?

Diceretur fortasse aures nostras nullum revera sensum in nobis efficere , præterquam soni vocabulorum ; & oculos nostros non nisi sensum vultus ridentis aut plorantis ; sed mentem esse nostram , quæ , cum memoriam servaverit quid ea significant vocabula , aut vultus constitutio , illa nobis eodem tempore repræsentet . Cui reponere possem , mentem quoque nostram esse , quæ ideam Luminis exhibeat nobis , quotiescumque actio quæ eam significet nostros ferit oculos . Sed ne disceptando temporis fiat dispendium aliud citare exemplum satius erit .

Putasne , etiam cum ad vocabulorum significationem non attendimus , & illorum modò sonum audimus , hujus soni ideam quæ in cogitatione nostrâ efformatur , aliquid simile esse objecto , quod illius ideae causa existit ? Osaperit homo , linguam movet , expellit halitum ; in quibus omnibus actionibus nihil video quod non sit valde diversum ab idea soni , cuius imaginationem in nobis producunt . Philosophorum quoque plurimi asseverant , sonum nihil aliud esse quam tremulum quandam aeris motum , aures nostras ferientem . Adeo ut , si sensus auditus cogitationi nostræ genuinam objecti sui imaginem offerret , loco perceptionis soni , deberet in nobis producere perceptionem motus particularum aërearum , aures nostras eo tempore ferientium . Ast cum omnes fortean dictis Philosophorum non sint adhibituri fidem , aliud desuper exemplum adducam .

Nullus sensuum minus fallax est , magisque fidem mereri censetur quam tactus : si itaque evicero tactum ipsum efficere , ut multis concipiamus ideas , quæ nullam prorsus similitudinem habent cum objectis à quibus oriuntur , non putem absurdum haberii posse si dixero simile quid in visu posse effici . Nemo est quinnorit ideas titillationis & doloris , quæ in mente nostrâ efformantur occasione corporum externorum nos sufficientium , nullam cum iis convenientiam habere . Plumulâ infantuli dormientis labio leniter admotâ titillationem sentit . Putatne quis titillationis quam habet ideam , utcunque similem esse ei , quod in hac datur plumula ? E prælio reddit

redit miles : fervore conflictus durante potuisset vulnerari , quamvis non perciperet ; postea vero ubi aestus imminuitur animi dolorem sentit , se vulneratum credit : advocatur Chirurgus , armaturam exuent , ipsum visitant ; experiuntur tandem nihil aliud fuisse quod sentit , quam fibulam aut lorum armaturae implicitum quod stringebat , & incommodum ipsi crebat . Si tactus , quo interveniente lorum sentiebat , hujus imaginem menti impressisset , haud opus fuisse Chirurgo , qui exponeret quidnam id esset quod sentiret.

Nullam itaque video rationem , quae nos obliget ut credamus , illud quod est in objecto , luminis sensum in nobis producentem , magis sensui huic conforme esse , quam actiones plumulæ , aut lorali alicuius , cum titillatione , aut dolore . Nihilominus tamen , ea non citavi exempla ad certò evincendum , Lumen aliud quid esse in objectis , quam in oculis nostris , sed tantum ut in dubium vocaretur , & cavendo ab oppositi persuasione , melius deinceps examinari mecum posset quid statuendum sit .

## C A P U T . II.

*Quid in igne sit Urere , Calefacere , Lucere.*

**D**UO tantum novi corporum genera , in quibus lumen reperitur puta Sidera & Flammam , sive Ignem . Cumque Sidera dubio procul à cognitione humana magis remota videantur , primo conabor loco explicare quæ Flammam spectant .

Quotiescumque lignum , aliamve hunc similem materiam comburit , oculis cernere licet , ipsam ligni particulas movere , eas ab invicem separare , atque hoc modo subtilissimas in ignem , aerem , & fumum convertere , crassiores vero reliquias einteribus relinquere . Alius itaque , si velit , in hoc ligno concipiatur formam ignis , qualitatem caloris , & actionem quam urit , veluti res omnino diversas ; me quod attinet , qui vereor ne decipiar , si amplius quid in illo supponerem , quam necessariò inesse debere perspicio , sufficit mihi partium in ipso concipere motum . Incendatur enim lignum , introducatur calor , & quamdiu visum fuerit ardeat , nisi desuper supponatur quasdam ejusdem particulas in motu constitutas esse , & à vicinis sejungi , imaginari haud possem , ipsum alterationem ,

## T R A C T A T U S

<sup>4</sup> aut mutationem ullam subiturum. Et contra, auferatur ignis, removeatur calor, impediatur ne ardeat, dummodo mihi concedatur aliquam ipsi vim inesse, quæ subtilissimas ejus particulas valide moveat, easque à crassioribus separet, video hoc unicum sufficere ad omnes easdem mutationes ipsi conciliandas, quas experimur cum ardet.

Quum itaque impossibile videatur percipere, quod unum corpus moveat alterum, nisi & hoc ipsum moveatur. hinc concludo molem flammæ vim suam in lignum exercentis, conflatam esse ex partculis, quarum singulæ seorsim motu velocissimo, & maximè violento agitantur; quæque ejusmodi motu delatae obviorum corporum partes nimiam ipsis resistentiam non inferentes impellunt, & secum abripiunt. Partes ejus singulas seorsim moveri dico: quamvis enim plures frequenter concurrant, simulque conspirent ad eundem effectum produceendum, videmus tamen unamquamque earum peculiariter agere in corpora illa quæ contingunt. Dico insuper earum motum esse velocissimum, & maximè violentum, cum enim usque adeo sint exiles, ut ne visu quidem discerni queant, sufficientes non haberent vires, uti habent, ad activitatem suam in alia corpora exercendam, nisi celeritas motus defectum magnitudinis earundem compensaret.

\* Cap. 2. Non addo à quâ parte moveantur singulæ: Si enim consideratur, prout satis illud in Dioptricâ exposui, vim movendi, & causam determinantem à quâ parte motus fieri debeat, esse duo prorsus diversa, & quorum alterum absque altero esse potest, facile judicamus, unamquamque cā moveri ratione, quam minimè ipsi difficulter reddit ambientium corporum dispositio; & in cādem flammā dari posse particulas quæ sursum, & alias quæ deorsum, rectā, & in orbem; imo versus omnes plagas vergant, nullā naturae ejus factā mutatione. Adeo ut si omnes fermè sursum vergere cernamus, cogitandum non sit aliā illud de causā evenire, quam quod reliqua corpora ipsas contingentia, ita ferè semper sint disposita, ut illorum motui in reliquis partibus magis resistant.

Verum postquam cognoverimus flammæ particulas dictâ ratione moveri, camque motus perceptionem sufficere, ad cognoscendum quomodo potentiam habeat lignum consumendi & urendi; examinemus, si placet, an idem hoc non sufficeret quoque ad percipientium, quomodo ipsa nos calefaciat, atque illuminet. Hoe enim

explorato, haud necesse erit aliam in ipsa qualitatem admittere, & asterere licebit, unice hunc esse motum, qui respectu diversorum effectuum, nunc Calor, nunc Lumen dicitur.

Quantum itaque ad Calorem; sensus quem de illo habemus, prout mihi quidem videtur, cum intensus est, pro specie doloris haberit poterit, & quandoque pro specie titillationis, quando est temperatus. Et prout ante diximus, nihil extra mentem nostram dari simile ideis quas de titillatione & dolore efformavimus: credere quoque licet, nihil dari simile ei quod de Calore concepimus; sed illud omne, quod manuum nostrarum particulas diversimodè valet movere, hunc posse in nobis sensum efficere. Quin & huic opinioni favent plurima experimenta: manus enim fricando duntaxat caleficiamus: quodcumque etiam aliud corpus calefieri potest, etiam si non admoveatur igni, hoc solo quod agitetur, eumque in modum concutiatur, ut multæ ejusdem particulæ moveantur, & secum abripere valeant manuum nostrarum particulas.

Lumen quod attinet, eundem etiam motum, qui est in flamma, concipere possumus sufficere ad efficiendum ut Lumen sentiamus. Verum quia præcipua instituti mei ratio Lumen spectat, fuisse illud exponere atque altius sermonem meum repetere aggrediar.

## C A P U T I I I.

*In quo traditur diversitas, duratio, & causa motus, simulque exponitur durities & fluiditas corporum, in quibus ille occurrit.*

**I**Nfinitam considero motus diversitatem semper in Mundo permanentem. Et post observatos motus maximos, qui conficiunt dies, menses, annos, animadverto vapores indesinenter à terra versus nubes adsurgere, indeque descendere; ærem ventis agitari, mare nunquam quiescere; uti nec flumina, nec fontes, firmissima corruere ædificia; plantas & animalia crescere solummodo & torrumpi: tandemque nihil uspiam locorum reperiri quod non sit mutationi obnoxium. Unde satis perspicio solam non esseflammam, in qua multæ occurrent particulæ, quæ moveri omnino haud cessant: sed in omnibus etiam aliis corporibus eas reperiri, quamvis earum operationes adeo validæ non sint, nec propter mo-

lis suæ parvitatem ullus sensuum nostrorum eas percipere valeat.

\* Part. 2. Non multis causam motus eorum inquiram : si quidem mihi Princ. §. sufficit concipere motum \* unà cum Mundo ortum fuisse. Quo 36. & 37. posito, dictitat mihi ratio, fieri non posse ut motus esse defineret, aliamve, quām respectu subjectorum, mutationem subiret. Id est, quod vis movendi quæ est in aliquo corpore, vel omnis, vel ex parte, possit quidem transire in aliud, & non amplius inesse priori; verum quod nequeat omnino non amplius esse in Mundo. Satis mihi hac in parte faciunt quas habeo rationes, sed necdum mihi nata est occasio eas communicandi, imaginari interim licet, si ita videatur, uti faciunt plerique viri Docti, primum aliquod mobile dari, quod incomprehensibili velocitate circa Mundum gyrando, principium & scaturigo est omnium motuum qui in ipso sunt.

Secundum quam observationem medium nobis suppetit tradendi causas omnium mutationum quæ in Terra conspiciuntur. Verum sufficiet mihi hic de illis agere, quæ ad propositum meum faciunt.

Primum quod sciri velim est differentia corporum durorum & fluidorum; hunc in finem concipiendum, unumquodque corpus

\* Part. 1. dividi \* posse in particulas maximæ parvitatis. Earum numerus Princ. §. an infinitus sit nec ne, determinare nolo; sed hoc saltem certum 26. Part. est, eum respectu nostræ cognitionis indefinitum esse, & suppo- 2. §. 34. ni posse myriades aliquot in minimo dari arenæ grano, quod po- Part. 3. g. 51. & test oculis videri.

87. Part. Notandum quoque, si illarum particularum duæ se invicem contingant, nullâ in iis admisâ actione recedendi à se mutuo, opus esse vi aliquâ quantulacunque illa fuerit ad illas separandas. 1. Epistol. 167.

\* Part. 2. Iis enim hunc in modum dispositis, nunquam ex se ipsis conabun- Princ. §. tur in alium se se statum transferre. Observandum etiam duplo plus 37. virium requiri, ad duas separandas quām ad unicam; & milles plus ad mille dividendas. Adeo ut mirum non sit, vim satis sensibilem adhibendam esse, ubi myriades aliquot eadem vice separan- dæ veniunt, uti forsitan factu opus est ad rumpendum unicum pilum.

Ex adverso, si duæ, pluresve ejusmodi particulæ in transitu tan- tum se mutuo contingant, & in actione sint ad procedendum aliae versus hanc, aliae versus oppositam plagam, certum est minus re- quiri

quiri virium ad eas dividendas, quām si motu prorsus destitutæ forent: Quin etiam nullam omnino vim requiri, si motus ille quo ex se ipsis se jungi possunt, æqualis, vel major fuerit illo, quo ipsas se jungere volumus. Nullam itaque aliam inter corpora dura & fluida diversitatem reperio, quām quōd partes unius multo facilius separari possint, quām alterius. Adeo ut ad constituendum corpus maximæ quæ concipi potest duritiae sufficere arbitrer ut omnes ejus partes se mutuo contingant, nullo inter eas spatio superstite, ut que nulla \* earum in motu sit constituta. Quodnam enim cœ-  
mentum, quodve præter hæc concipi possit \* glutinum, ad effi-  
ciendum ut firmius inter se cohæreant.

\* Part. 2.  
Princ. §.  
54.  
\* Ibid. §.

Putem itidem, ad constituendum corpus summæ quæ dari posse fluiditatis, sufficere ut omnes ejus particulæ maxime exiles motu ab invicem maxime diverso, & quantum fieri potest rapidissimo, agitentur; quamvis propterea non desinant undique se mutuo posse contingere, vel constituere in spatio usq[ue] adeo exili, ac si non moverentur. Tandem credo unumquodque corpus magis vel minus ad hæc duo extrema accedere, prout partes ejus magis minusve sunt in statu recedendi ab invicem. Et hanc mihi sententiam confirmant omnia in quæ oculos conjicio experientia.

Flamma, cujus partes in perpetuo motu constitutas esse, jam ante dixi, non tantum fluida est, sed plurima quoque alia corpora facit fluida. Videmus ubi liquefacit metalla, ipsam non aliâ vi agere, quam cum comburit lignum. Sed cum metallorum partes fermè omnes ejusdem sint magnitudinis, alteram absque alterâ mouere nequit, indeque ex iis corpora facit planè fluida; cum lignorum partes usque adeo magnitudine differant, ut possit resolvere omnium subtilissimas, easque reddere fluidas, id est efficere ut in fumum abeant, immotis crassioribus particulis.

Respectu fluiditatis flammæ accedit proximè aér, hujus autem particulæ seorsim moveri singulas, oculis videre est. Si enim dignemur observare corpuscula, quæ vulgo atomi vocantur, quæque in Solis apparent radiis, cernemus ea, etiam nullo agitata vento, indesinenter huc & illuc, mille diversis gyrate modis. Simum quid experiri licet in crassioribus quibusvis liquoribus si, ad illorum motus exactius discernendos, qui diversorum sunt colorum inter se commisceantur. Tandemque illud manifestissime apparet

paret in aquis fortibus, cum metalli alicujus partes movent ac resolvunt.

Sed quæri possit, si unicè sit motus particularum flammæ, qui faciat ipsam urere, eamque fluidam reddat, quare motus particularum aërearum, qui ipsum etiam valde fluidum reddit, urendi quoque vim ipsi non concedat; sed contra efficiat ut vix eum sentire valeant manus nostræ. Ad quod respondeo, non solam motus celeritatem observandam esse, sed particularum quoque magnitudinem: Et maximè subtiles illas esse, quæ reddunt corpora fluida; utcunque verò crassiores plus habere virium ad urendum, & generaliter ad actuositatem suam in alia corpora exercendam.

Notandum me hic, & ubique in posterum pro unâ solummodo parte habiturum, quæcunque invicem unita sunt, nullamque vim habent recedendi à se mutuo: Quamvis corpora quæ subtilissimæ sunt molis levi negotio in multa alia resolvi possint. Hoc sensu arenula, lapis, rupes, imo terra ipsa pro unâ parte haberit poterit, quatenus in iis non nisi omnino simplicem, & prorsus æquabilem consideramus motum.

Si itaque nonnullæ aëris particulae comparatè ad alias sint admodum magnæ, quales sunt atomi quæ in ipso videntur, illæ moventur etiam valde tardè; & si quædam fuerint, quæ celerius moventur, illæ quoque multo minores sunt. Si verò inter flammæ particulæ quædam sint subtiliores iis, quæ in aëre occurront, etiam dantur crassiores, vel saltē multo major est numerus eorum quæ magnitudine æquales sunt maximis aëris particulis, atque etiam multo celerius moventur; & hæ solæ urendi vim habent.

Subtiliores in flamma dari, conjici exinde potest, quod oblique multa penetrant corpora, quorum pori adeo sunt angusti, ut eos subire non valeat aëris. Quod dentur multo crassiores, vel crassæ majori in numero manifestè exinde liquet, quod aëris solus haud sufficiat ad nutriendam flammam. Velocius eas moveri, efficacia actionis earundem nos experiri facit. Tandemque crassiores particulæ urendi vim habere, & non alias, evidens in eo est, quod flamma spiritus vini, aliorumque corporum valde subtilium, fermè nihil urat; & contra intensissimè servida sit flamma, quam efficiunt corpora dura & ponderosa.

## CAPUT IV.

*Quale de Vacuo judicium sit ferendum : Et quam ob rationem sensus nostri quadam corpora non percipient.*

**P**Eculiariter examinandum porro venit, quâ de causâ Aér, cum æque corpus sit quâm reliqua, perinde sentiri nequeat : eodemque medio liberandi sumus ab errore quo omnes ab infancia imbuti sumus, cum crediderimus nulla alia circum nos dari corpora, nisi quæ possunt sentiri : Et proinde Aërem si corpus sit, cum utcumque illum sentiamus, ad minimum neque adeo materialem, neque ita solidum esse, quâm illa quæ magis sentimus.

Hoc quod attinet, observari primo loco velim, quævis corpora tam dura quam fluida, facta esse ex eadem materia; & concipi non posse, quod materiæ hujus partes constituerent unquam corpus magis solidum, quodve minus occuparet spatii, quam ipsæ faciunt, cum unamquamque illarum undique contingunt aliæ ambientes particulae; unde sequitur, prout mihi videtur, quod si vacuum alicubi dari possit, illud in duris potius, quam fluidis corporibus futurum. Manifestum enim est horum particulas multo facilius posse invicem premere, & juxta se mutuo disponere, hoc ipso quod sint in motu, quâm illorum partes quæ motu destitutæ sunt.

Ubi pulverem commisimus vasi, quo plus in illud congeratur, conquassamus & percutimus; infuso autem liquore, mox ipse sponte componit se in locum adeo parvum quâm locari potest. Et si hac in re consulamus experimentorum nonnulla, quæ à Philosophis adhiberi solent, ad demonstrandum quod nullum in Natura vacuum detur, facile cognoscemus omnia spatia quæ vulgus putat vacua esse, & in quibus nihil nisi aërem sentimus, usque adeo falem plena, eademque materiâ esse referta, ac spatia in quibus alia corpora percipimus.

Dicatur enim mihi, quæso, quam veri haberet speciem, quod Natura sursum potius cogeret corpora gravissima, & frangeret durissima, uti eam nonnullis in machinis facere experimur, quâm permetteret ut quædam ejus particulæ desinerent se invicem, vel alia contingere corpora; & quod ipsa interim permetteret ut particulae Aëris, quæ levi negotio inflecti, atque pro beneplacito nostro

## TRACTATUS

disponi possunt, prope invicem permanerent, absque mutuo undique contactu, vel etiam sine contactu alterius cuiuspiam corporis ipsis intermisi? Num credi possit, aquam quæ est in puteo, contra naturalem sui propensionem sursum vergere, solummodo ut antilæ tubis adimpleretur? & cogitari quod aqua quæ in nubibus est non deberet deorsum tendere, ad spatia quæ ibidem sunt implenda, si tantillulum vacui daretur inter partes corporum illa continentium?

Sed gravis satis difficultas moveri hic posset; videlicet quod particulæ corpora fluida constituentes nequeant, ut videtur, indesinenter moveri, quemadmodum dixi obtainere, nisi spatium vacuum iis fuerit interjectum, iis saltem in locis quæ derelinquent pro ratione sui motus: Ad quod respondere mihi foret difficile, nisi diversis mihi innotuisset experimentis, omnes motus qui in Mundo fiunt, utcunque circulares esse, id est, quotiescumque corpus locum suum deferit, semper illud alterius sibi vindicare locum, & hoc rursus alterius, atque ita porro ad extreum usque, quod eodem momento locum à primo corpore derelictum occupat; adeo ut non magis inter illa superstes sit vacuum quando moventur, quam cum quiescant. Notandum hic quoque venit propterea haud esse necessum, ut omnes partes corporum simul motorum exactè in orbem sint constitutæ in modum perfecti circuli, neque ut ejusdem sint magnitudinis; hæ enim inæqualitates aliis compendiari posunt inæqualitatibus, quæ in celeritate earum reperiuntur.

Circulares ejusmodi motus passim non observamus cum per aërem moventur corpora, quia aërem non aliter assuevimus concipere, quam spatii instar vacui: sed natantes in cratera fontis attendamus pisces, nisi aquæ superficiem appropinquaverint nimium, nullam in illa concitationem excitabunt, quamvis maximâ velocitate sub illâ ferantur: unde liquido appareat quod aqua quam ipsi propellunt non indiscriminatum quamcumque aliam moveat; sed eam tantum, quæ magis apta est inservire perficiendo circulo motus ipsorum, illumque occupare locum quem pisces derelinquent.

Atque hoc sufficit experimentum ad exhibendum quam faciles ac consueti sint ejusmodi circulares motus ipsi naturæ; sed adjiciam aliud ad evincendum quod nunquam aliis fiat motus. Quando vinum dolio contentum per aperturam in inferiori ejusdem parte factam non effluit, eo quod superiorius plane obturatum est; dicere, uti

uti passim fieri solet, propter vacui fugam illud fieri, est impro priè loqui. Novimus equidem vinum mente destitutum esse quā aliquid metueret: & si mentem haberet, nescio qua ratione vacuum illud, quod revera nil nisi chimæra est, metuere posset. Sed dicendum potius, quod vinum è dolio effluere néqueat, quia omne quod extra datur spatiū quam exacte fieri potest plenum est, & pars aëris cuius subiret locum si descenderet aqua, nullum in reliquo Universo invenire potest locum quem ingredetur, nisi factā in superiori vasis parte aperturā, per quam valeat in vini locum circulariter adsurgere.

Cæterum assèverare propterea nolo, nullum prorsus in Natura vacuum dari. Vereor enim ne nimium sermo meus ex crescere, si explicare aggrederer quid de eo sit: atque experimenta de quibus sum locutus, satis valida non sunt ad hoc ipsum probandum, quamvis sufficiant ad persuadendum spatia in quibus nihil sentimus repleta esse eādem materiā, & ad minimum continere tantum illius materiæ, quantum loca quæ à corporibus sensibilibus occupata sunt. Adeo ut si vas aliquod, exempli gratia, plenum sit auro vel plumbo, illud propterea non plus contineat materiæ, quām cum vacuum esse arbitramur: absurdum hoc videri possit multis quorum ratio ultra ipsorum digitos non extenditur, quique nihil in Universo dari putant nisi quod tangant. Sed ubi utcunque perpendiculariter qui fiat ut corpus sentiamus, vel non, certo mihi persuadeo nihil in eo reliquum fore quod fidem supereret. Evidenter enim cognoscemus tantum abesse ut omnia quæ circa nos sunt sentiri queant, ut e contrario illa quæ plerumque ibidem sunt ut minimum sentiri possint, quæque semper sunt nunquam.

Intensus satis est cordis nostri calor; ast illum non sentimus, quia perpetuus est. Haud leve est corporis nostri pondus, nec tamen nobis est incommodo: Ne quidem vestium nostrarum gravitatem sentimus, quia ipsas ferre consuevimus. Et ratio ejus satis est perspicua: Certum enim est nullum corpus sensu posse percipi, nisi causa sit mutationis alicujus in nostrorum sensuum organis, id est, nisi utcunque moveat particulas materiæ organa constituentes; quod quidem efficere valent objecta quæ non semper nobis offeruntur, si modò satis habeant virium. Si enim, dum agunt, quippiam corruptant, illud postea, cum non amplius operantur, Natura reficere potest. Illa verò corpora quæ perpetuum nos con-

## T R A C T A T U S

tingunt, si unquam vires habuerint aliquam in sensibus mutationem introducendi, & quasdam subjecti illorum particulas movendi, à vitæ nostræ auspicio propter illam movendi efficaciam à reliquis prorsus sejungi debuerunt; eaque ratione nullas ibidem relinquere potuerunt, nisi quæ illarum actioni prorsus resistebant, quarumque ope nullo modo sentiri poterant. Unde liquet haud mirum esse, quod multa circum nos spatia dentur, in quibus nullum sentimus corpus, quamvis non minus contineant corpora, quam illa spatia in quibus maximè corpora sensu percipimus.

Propterea autem putandum non est, crassiorem hunc aërem, quem respirando in pulmones adigimus, qui cum agitatur in ventum convertitur, qui durus nobis videtur cum folli est inclusus, quique foliis constat exhalationibus & fumo, adeo solidum esse ut aqua & terra. Sequi hic oportet sententiam Philosophorum, unanimiter asseverantium ipsum rariorem esse. Quod etiam facile innotescit experientiâ; guttulæ enim aquæ partes, agitatione caloris ab invicem separatae, multo plus aëris constituere possunt, quam continere valeret spatiū in quo aqua extiterat. Ex quo indubie sequitur plurima exilia intervalla esse interposita particulis ex quibus est conflatus, nulla enim datur ratio aliter concipiendi corpus rarum. Sed cum hæc interstitia nequeant esse vacua, ut supra dictum, necessum est alia corpora, unum vel plura aëri permixta esse, quæ quam exactè fieri potest parva illa adimpleant intervalla quæ inter partes ejus reliqua sunt. Nihil nunc amplius reliquum est, quam examinare quænam hæc alia corpora esse possint: & spero deinceps haud difficile futurum concipere qualis natura Luminis sit.

## C A P U T V.

*Quatuor Elementa revocantur ad tria, additâ eorum explicacione,  
& probatione.*

**A**Sseverant Philosophi supra nubes dari aërem multo subtiliorem neque ex terræ vaporibus conflatum, sicuti noster, sed qui Elementum reliquis contradistinctum constitut. Dicunt itidem supra hunc aërem aliud esse corpus multo subtilius, quod Ignis vocant Elementum. Addunt, duo hæc Elementa in omnium corporum infe-

inferiorum compositione permista esse Aquæ & Terræ : quorum itaque opinionem sum sequuturus, si dixerim subtiliorem hunc Aërem, & Ignis Elementum adimplere interstitia, quæ partibus aëris crassioris quem inspiramus intercipiuntur ; adeo ut corpora hæc sibi mutuo implicita massam confiant quæ adeo sit solida , quam ullum aliud corpus.

Sed quo mea hac de re sententia melius percipiatur, & ne quis putet me velle aliquem constringere ad fidem iis omnibus adhibendam, quæ Philosophi de Elementis commemorant, necessum est ut illa meo describam modo.

Primum concipio Elementum, quod Ignis Elementum dici poterit, ut liquorem subtilissimum, & omnium qui in Mundo reperiuntur maximè penetrantem. Et secundum illa quæ de natura corporum fluidorum supra diximus, particulas ejus mihi imaginor multo subtiliores, & multo concitatius moveri , quam aliorum corporum particulas ; vel potius ne constringar ullum in Naturâ admittere vacuum, non adsigno ipsi partes quæ determinatam haberent magnitudinem aut figuram : sed mihi persuadeo vehementiam motus earundem sufficere ad efficiendum ut ipsæ aliorum corporum occursu divisæ sint quibusvis modis, & quâcunque ratione ; utque figuræ particularum ejus singulis immutentur momentis, quia sese accommodare valeant figuris locorum quæ ingrediuntur ; ita ut nunquam inter aliorum corporum particulas reperiatur meatus usque adeo angusti , neque anguli tam parvi quos non pervadant, \* ac exquisitè adimpleant hujus Elementi particulæ. <sup>\* Part. 3.</sup>

Quantum ad secundum quod pro Elemento Aëris haberi poterit, illud quoque concipio quidem ut liquorem subtilissimum , si <sup>52.</sup> cum tertio comparetur ; verum ut cum primo conferatur, necessum est singulis ejusdem particulis certam magnitudinem & figuram attribuere , \* easque concipere ferme prorsus rotundas atque <sup>\* Ibid.</sup> sibi mutuo conjunctas instar granorum arenæ aut pulveris , ita ut neque adeo bene disponi, neque unæ alias ulla ratione premere possint, quin semper inter ipsas plurima exilia maneant intervalla, quibus sese ingerere primo Elemento longe facilius est, quam illis figuram cù solum de causa immutare ut intervalla adimplerent. Atque ita mihi persuadeo secundum hoc Elementum nullibi locorum in toto Universo posse dari adeo purum, quin semper aliquid de materiâ primi permixtum sibi habeat.

Præter duo hæc Elementa plura non admitto quām tertium, puta Terræ, cujus partes judico esse tanto crassiores tantoque tardius moveri, respectu particularum secundi Elementi, quanto hæ respectu primi. Quin & sufficere credo eas concipere ut unam pluresve massas solidas, quarum partes non nisi valde parum, vel \* nihil omnino motus habeant, qui situm, quem inter se habent,  
 \* Part. 3. Princ. immutaret.

§. 52. Quod si absurdum videatur in explicatione horum Elementorum à me non adhiberi qualitates quas vocant calorem, Frigus, Humiditatem & Siccitatem prout Philosophi facere consueverunt: Reponam, quod hæ qualitates mihi videantur ipsæmet indigere explicatione, & quod, ni fallor, æque quatuor hæ qualitates, ac omnes reliquæ, quin & omnes corporum inanimatorum formæ explicari queant, nec tamen opus sit hujus rei ergo aliud quid in ipsorum materiâ supponere, præter motum, magnitudinem, figuram, & partium dispositionem. Facile proinde percipi poterit, cur alia non admittam Elementa, præter tria hæc quæ descripti: Discrimen enim quod inter ipsa & alia corpora intercedere debet, quæ Philosophis mixta & composita dicuntur, in eo consistit, quod corporum mixtorum formæ semper contineant quasdam qualitates contrarias & mutuo eversivas, vel quæ saltem mutuæ conservationi non inserviunt, cum Elementorum formæ debeat esse simplices, neque ullas habere qualitates, quæ non adeo exactè conspirent inter se, ut singulæ reliquarum omnium conservationi inserviant.

Nullas autem in mundo invenire possum ejusmodi formas, præter tres modo descriptas. Illa enim quam primo attribui Elemento in eo consistit, quod ejus particulæ summâ rapiditate ferantur, & adeò sint subtile, ut nulla alia corpora iis fistendis sufficient, quodque desuper determinatam magnitudinem, figuram, aut situm non requirant: secundi Elementi, in eo quod particulæ ejus motum habeant & magnitudinem adeo mediocrem, ut si multæ dentur in Mundo causæ quæ valeant earum motum intendere & magnitudinem imminuere, totidem præcisè reperiantur aliæ quæ oppositum efficiendo sufficient; adeo ut semper quasi in æquilibrio hujus mediocritatis permaneant. Forma tertii in eo consistit, quod particulæ ejus tantæ sint molis, cumve in modum sibi invicem connexæ, ut motibus aliorum corporum semper valeant resistere.

Exa-

Examinentur quamdiu visum fuerit omnes formæ , quas varii motus, magnitudo, figura, & situs partium materiæ valent corporibus mixtis concedere, & certo mihi persuadeo, quod ne unica quidem invenietur, quin in se contineat qualitates conatum habentes ipsam immutandi , & variando reducendi ad aliquam formam horum Elementorum.

Ex. Gr. flamma , cuius forma requirit particulas celerrimo in motu constitutas, quæque infuper utcunque magnæ sunt, uti dictum est, diu subsistere nequit quin corrumpatur : vel enim magnitudo particularum ipsis concedendo vim in alia corpora agendi, causa erit decrementi motus earundem ; vel vehementia motus, quâ in obviam impingendo in materiam franguntur , causa erit dispendii magnitudinis illarum : atque ita sensim ad tertii elementi formam reduci poterunt, vel ad eam quæ est secundi, quin etiam nonnullæ ad primi. Ex quo cognosci poterit discrimen quod est inter hanc flammatam, sive ignem communem , qualis apud nos est, & inter elementum ignis cuius descriptionem dedi. Scendum quoque est, elementa aëris & terræ non magis convenire cum crassiore illo aëre quem inspiramus, vel cum terrâ illâ quam cernimus pedibus nostris substratam ; sed generaliter omnia corpora quæ circum nos apparent, esse mixta , composita , & corruptioni obnoxia.

Interim tamen propterea putandum non est , nulla elementa in mundo iis locis inexistere quæ specialiter ipsis destinata sunt, & in quibus perpetuo conservari possent in puritate naturali ; verum e contrario , cum unaquæque particula materiæ conatum semper habeat sese ad aliquam ex illorum formis reducendi , cumque in illam conversa nunquam eonetur eam deponere, etiamli Deus nulla in principio nisi mixta creasset corpora, nihilominus tamen à quo tempore mundus extitit, omnia illa corpora nacta fuissent occasionem formas suas deponendi, & elementorum assumendi: adeò ut valde nunc probabile sit , omnia corpora quæ fatis magna sunt ut præcipuis Universi partibus annumerentur, non nisi prorsus simplicem alicujus elementi formam habere ; neque ullibi mixta dari posse corpora quâm in superficiebus illorum corporum magnorum; at vero ibidem necessario esse debent. Cum enim elementa naturas valde contrarias habeant, fieri nequit ut duo se invicem contingant , quin activitatem in mutuas superficies sint exercitura,  
atque

atque ita materiæ ibidem existenti concessura diversas corporum mistorum formas.

\*Part. 3. Si itaque omnia corpora Universum hoc constituentia in genere Princ. §. spectentur, tria solummodo occurunt, quæ magna vocari, & §2. præcipuis ejus partibus annumerari possunt, videlicet Sol & Stellæ fixæ ut primum genus, cœli ut secundum, Terra cum Planetis & Cometis ut tertium. Quamobrem valida nobis ratio suppetit judicandi Solem & Stellas fixas non aliam habere formam, quam purissimam primi elementi, Cœlos secundi, Terram cum Planetis & Cometis, formam postremi elementi.

\*Part. 3. Planetas & Cometas Terræ coniungo; cum enim experiamur Princ. illos, sicuti Terra, lumini resistere, ejusque reflectere radios, §. 30. nullum inter illa discriminem agnosco. Solem quoque Stellis fixis & infra annumer o, iisque attribuo naturam prorsus oppositam Terræ; \*Part. 3. sola enim illarum luminis actio satis mihi indicat ipsarum corpora constare materiâ valde subtili, & admodum mobili.

§ 52. Cœlos quod attinet, quia sensibus observari nequeant, rationem mihi putem esse illis attribuendi naturam medium inter eam quæ Luminaribus competit quorum actionem percipimus, & eam quæ corporibus duris ac gravibus, quorum sentimus resistentiam.

Tandem mista corpora alio in loco non obscravamus, quam in superficie Terræ; & si consideremus totum illud spatium quod ipsa complectitur, videlicet omne illud quod est à summis nubibus, usque ad profundissimas cavernas, quas unquam hominum effudit avaritia ad eruenda metalla, comparatè ad Terram & immensam Cœli extensionem admodum parvum esse, facilè nobis imaginari possumus, quod omnia corpora mista simul sumta crustæ instar sint progeneratae motu & permistione materiæ ambientis cœli.

Atque ita supperet nobis occasio cogitandi, non solùm in aëre quem inspiramus, verùm quoque in omnibus reliquis corporibus compositis, etiam in lapidibus durissimis, ac in metallis ponderosissimis, dari particulas Elementi Aëris, mistas cum Terræ particulis, consequenter etiam cum particulis Elementi Ignis, ut-pote quæ semper in aëris meatibus reperiuntur.

Sed notandum, etiamsi horum trium Elementorum particulæ invicem permistæ in omnibus hisce corporibus dentur, quod tamen accurate loquendo, illæ, quæ propter molis magnitudinem, aut

aut movendi difficultatem ad tertium referri possunt, totum illud constituant quod circa nos conspicimus. Duorum enim reliquorum particulæ adeo exiles sunt, ut sensibus observari nequeant, Omnia etiam hæc corpora instar spongiarum concipere possumus, quæ etiamsi multos poros atque exilia foramina, semper plena aëre, aquâ aliove simili liquore, non tamen censeri solet liquores illos spongiae compositionem ingredi.

Plura alia mihi explicanda hic restarent, & voluere mihi foret rationes quasdam iis adjicere, ad opiniones meas magis verosimiles reddendas; sed quo dissertationis hujus prolixitas minus pariat tædii, partem ejus fabulæ involvam, in quâ, uti spero, veritas satis sese conspicendam præbebit, neque conspectui minus erit jucunda, ac si nudam prorsus ipsam exponerem.

## C A P U T V I.

*Novi Mundi descriptio, qui cognitu maximè facilis est, nihilominus tamen illi in quo degimus similis; vel etiam similis chaos quod Poëta finxerunt præcessisse.*

PERMITTITE itaque cogitationibus vestris ad breve tempus e Mondo hoc exire, ad conspicendum aliud planè novum, cuius nativitatem ipsis præsentibus in spatiis imaginariis procurabo. Infinita esse spacia illa referunt Philosophi, in quo fidem merentur, ipsi enim ea fecere; verum ne infinitudo hæc impedimento nobis sit, non tentandum ad finem usque progredi. Eo tantum usque ingrediamur illa, ut conspectum nostrum omnes fugiant creaturæ, quas Deus ante quinque aut sex mille annos produxit, & postquam ibidem in determinato substiterimus loco, supponamus Deum de novo tantum materiae circa nos creare, ut versus quam plagam nostra sese extenderit imaginatio, nullum amplius inveniat locum, qui vacuus sit.

Licet mare non sit infinitum, qui tamen in medio ejus in navigio constituti sunt, visus aciem in infinitum, uti videtur, extendere possunt, interim tamen, præter omnem quam cernunt, adhuc aqua datur: Similiter quoque quamvis imaginatio nostra in infinitum sese extendere posse videatur, & nova hæc materia non sit supposita infinita, supponere tamen licet ipsam multo majora ad-

implere spatia, quām omnia illa quāe fuerimus imaginati. Atque etiam ne in hisce quicquam detur, cui aliquid reponi poslet, ne veniam demus imaginationi nostrae quam longē poterit sese extendi; sed datā operā ipsam intra determinatum spatiū contineamus, quod exempli loco non sit multò majus, quām distantia Terræ à præcipuis Firmamenti Stellis; & materiam, quam creavit Deus, undique fatis remote ad indefinitam distantiam se diffundere supponamus: multò enim majorem veri habet speciem, multoque verius potestatem habemus nostrarum cogitationum actionibus \* terminos præscribendi, quam operibus Dei.

\* Part. 3, Princ. Quum itaque eam nobis vindicemus libertatem pro nostro arbitriu hanc fingendi materiam, attribuamus ei, si ita videatur, natum in quā nihil omnino sit, quod non ab unoquoque, quam exactè fieri potest, concipi queat. Hunc in finem expresè supponamus \* ipsam neque Terræ, neque Ignis, neque Aeris, neque aliā speciale formam, ut lapidis, ligni, vel metalli; neque etiam qualitates caloris aut frigoris, humiditatis aut siccitatis, levitatis vel gravitatis, neque ullum habere saporem, odorem, sonum, colorem, lumen, aliasve similes; in cujus naturā dici possit nihil reperiri, quod non omnibus evidentissimè cognitum sit.

Sed quoque ex adverso non putandum, eam esse Philosophorum materiam primam, usque adeò omnibus formis & qualitatibus exutam, ut nihil in eâ reliquum sit, quod clare percipi queat: Sed concipiamus ipsam ut genuinum corpus, perfectè solidum, quod exacte \* omnem latitudinem, longitudinem, & profunditatem magni illius spatiū adimpleat, in cujus medio cogitationem nostram fiximus; adeò ut quelibet pars ejus semper occupet illius spatiū partem, magnitudini ejus ita proportionatam, ut nequeat implere majus, nec in minus se recipere, neque permittere, ut quādiu ipsa ibidem manet, aliud locum illic reperiat.

Addamus materiam hanc in omnes illas partes, & juxta omnes figurās, quas imaginatione attingere possumus, divisibilem esse earumque singulas aptas esse recipiendo in se \* omnes motus, quos itidem imaginari possumus. Supponamus porrò Deum \* actu ipsam in plures ejusmodi partes divisiſſe, quarum aliæ aliis erant majorē, & minores, nonnullæ hac, aliæ atiā figurā affectæ, prout nobis eas fingeret placuerit. Non quod illas eum in modum separant, ut vacuum inter eas reliquum sit, sed cogitemus omnem quam

quam iis concedit distinctionem, consistere in diversitate motuum quos ipsis impertitur; quo fit ut à primo creationis momento, unæ incipient moveri versus hanc, aliaæ versus aliam plagam, aliaæ citius, tardius aliaæ, vel, si ita videatur, planè non; ipsasque postea motus suos continuare juxta naturæ leges. Deus enim hasce leges mirum adeò in modum instituit, ut licet supponamus ipsum nihil creare præter ea quæ diximus, quin etiam nullum iis ordinem certum impone-re; sed confusum admodum condere \* chaos, intricatissimum quod à Poëtis describi posset, ipsa sufficiant ad efficiendum ut partes il- lius chaos sese extricent, & ordine ita congruo disponant, ut per- fectissimi Mundi formam habituræ sint, in quo non tantum Lu-men videri poterit, sed reliqua etiam omnia, tam generalia, quam specialia, quæ in vero hoc Mundo apparent.

Sed priusquam illud prolixius exponam, parumper in contem-platione illius chaos subsistendum, & perpendicularum in illo nihil contineri, quin adeò perfectè cognitum sit, ut ne quidem fingi possit illud ignorari. Quod enim ad qualitates, quas in illo ad-misi, si attendatur tales solum in ipso supposui, quales nobis imaginari possumus. Et quantum ad materiam ex quâ eum compo-sui, nihil illâ simplicius est, nec cognitu facilius in creaturis inanimatis. Idea quoque ipsis, in omnibus quæ ab imaginatione nostri efformari possunt, usque adeò involvitur, ut necessum sit nos eam concipere, aut nihil unquam imaginari.

Attamen cum Philosophi adeò subtilem sint, ut iis in rebus, quæ reliquis hominibus maximè videntur perspicuae, difficultates inve-nire norint: cumque memoria primæ ipsorum materiæ, quam neverunt conceptu valde difficilem esse, à cognitione illius de quâ loquor ipsis avocare possit; dicendum ipsis, omnem, nisi decipiatur, difficultatem, quam in materiâ suâ experiuntur, exinde re-sultare, quod ipsam velint contradistinguere propriæ ejusdem \* quantitati, atque extensioni externæ, id est, proprietati quam habet spatium occupandi. Per me tamen licet ut credant aliquam se rationem hujus habere; cum non constituerim ipsis contradicen-do me detinere. Sed ipsis quoque absurdum videri non debet, si supponam quantitatem \* materiæ quam descripsi non magis differ-re à substantia ejus, quam numerus differt à rebus numeratis; & si extensionem eius, vel proprietatem quam habet occupandi spatium, non ut accidens concipiám, sed ut genuinam ejusdem formam at-

\* Part.  
3. Princ.  
§. 47. &  
Method.  
§ sed  
quia. p.  
26.

\* Part.  
2. Princ.  
§. 8. & 9.

\* Part.  
2. Princ.  
§. 8.

\* Part.  
1. Princ.  
§. 53.

## TRACTATUS

que essentiam; haud enim negare possent facillimum esse eam hoc pacto concipere. Neque propositum mihi est, sicut ipsis, expōnere ea quæ in vero Mondo actu dantur; sed modò aliquem pro arbitrio singere, in quo nihil sit, quin vel ab eo qui obtusè maximè est ingenii concipi queat, & qui tamen creari possit perinde ac ipsum finxi.

Si vel minimum immiscerem quod esset obscurum, fieri posset ut interveniente illâ obscuritate occulta quædam repugnantia daretur, quam non observaveram, atque ita incogitanter impossibile quid supponerem; cum e contra, si omnia quæ assumo distinctè percipi possint, indubium sit, quamvis nihil eorum in antiquo Mondo detur, Deum tamen posse illa in novo Mondo producere. Certum enim est creare ipsum posse omnia, quæ nos imaginatione percipere valemus.

## CAPUT VII.

*Quibus Legibus, quibusve modis Mundi hujus partes ex chao, & confusione, in quâ fuerant, extricatae sint.*

**V**Erum procrastinare ulterius nolo referre, quâ ratione Natura sola valeat confusionem illius chaos, cuius mentionem injeci, in ordinem redigere, & quanam ipsis à Deo leges impositæ sint.

Sciendum itaque in antecessum est, per Naturam me hic non intelligere Deam aliquam, alteriusve generis imaginariam potentiam; sed me hac voce uti ad designandam ipsam materiam, quantum eam considero cum omnibus qualitatibus, quas ipsi adscripti, conjunctim, eâ sub conditione ut Deus eâdem ratione ipsam conservare perseveret, qua creavit. Ex hoc enim solo quod Deus illam eodem conservare modo perseveret, necessario sequitur plures mutationes debere ejusdem partibus aecidere; quæ cum actioni Divinæ, ut mihi videtur, propriè attribui nequeant, utpote quæ nunquam immutatur, illas naturæ imputo; illasque regulas, juxta quas mutationes illæ fiunt, Leges Naturæ voco.

Quod ut melius percipiatur, in memoriam revocandum me inter materiæ qualitates supposuisse partes ejus à principio creationis carun-

earundem diversum habuisse motum: Et præterea illas invicem ab o mni parte tuisse contiguas nullo inter illas interposito vacuo. Unde necessario sequitur, simul ac moveri incepunt, illarum motus propter mutuum occursum, immutatos suisse, ac diversos evasisse. Atque ita Deum, si illas deinceps in eodem conservet statu, in quo creavit, non conservare eas in eodem statu; hoc est, quod Deo eadem ratione semper operante, ac consequenter eundem effectum verè producente, plurimæ diversitates in effectu illo tanquam per accidens reperiantur. Facilè quoque credimus Deum, qui, ut unumquemque scire decet, immutabilis \* est, semper eodem modo operari. Sed seposito ulteriori Metaphysicarum speculationum examine, duas vel tres ex primariis regulis tradam, secundum quas concipiendum est Deum efficere ut Natura in novo hoc Mundo operetur, & quæ, uti credo, sufficient ad reliquarum omnium cognitionem nobis ingerendam.

\* Part.  
2. Princ.  
§. 36.

\* Prima est, unanimque partem materiae quantum in se est \* Part.  
manere semper in eodem statu, quamdiu aliarum occursu eum im- 2. Princ.  
mutare non cogitur; hoc est, si alius fuerit magnitudinis, nunquam minor evadet, nisi ipsam aliæ dividant; si rotunda, vel quadrata sit, nunquam figuram illam deponet, nisi ab aliis ad hoc cogatur, si aliquo in loco quiescat, eum non deseret, nisi ab aliis ex illo deturbetur; & si aliquando moveri coepit, eadem semper velocitate perget, donec ab aliis sistatur, aut retardetur.

Nullus est qui non credat ipsissimam hanc regulam in veteri Munde observari respectu magnitudinis, figuræ, quietis, & mille aliarum ejusmodi rerum. Sed Philosophi ab ea motum excepere, quem tamen expressè sub eadem comprehendi velim; propterea tamen non putandum me in animo habere ipsis contradicere; motus de quo illi loquuntur tantum ab eo differt quem ego concipio, ut facile fieri possit, ut quod verum est de uno, verum non sit de altero.

Ipsimet concedunt motus sui naturam valde parum innotuisse, & ad eam utcunque intelligibilem reddendam, clarus eam exponere haec tenus non potuerunt quam hisce terminis, *Motus est actus entis in potentia, prout in potentia;* qui usque adeò mihi sunt obscuri, ut fuerim coactus ipsorum lingua hic inferere, cum eos interpretari neciam: E contra, natura motus de quo in animum induxi disfere cognitu adeò facilis est, ut Geometræ, qui præ omnibus aliis

## TRACTATUS

hominibus dederant operam, ad distinctè satis percipiendas res, quas considerant, judicaverint eam simpliciorem, magisque intelligibilem esse, quam superficiem, vel linearum naturam; ut ex eo liquet quod lineam exposuerint per motum puncti, & superficiem per motum lineæ.

Multos Philosophi supponunt motus, quos fieri posse judicant, quamvis nullum corpus locum mutet; hujus generis sunt quos vocant, *Motus ad formam, motus ad quantitatem, & mille alii,* Me vero quod attinet, alium non agnosco, quām quem judicavere Geometræ facilius posse concipi lineis, \* quique efficit ut corpora migrant de loco in locum, & successivè omnia intermedia spatia occupent,

Insuper horum motuum minimo essentiam attribuunt magis perfectam, verioremque, quām quieti, quæ juxta ipsos motus tantum privatio est. Ego autem concipio quietem æquè esse \* quam litatem materiæ attribuendam, quamdiu ipsa in eodem manet lo-

\* Part. 2. Princ. §. 24. & 27. &c. quām motum, qui ipsis competit, quando illum mutat.

*Part. 1.* Ep. 117. Tandem motus, de quo illi loquuntur, naturæ adeò alienæ est, ut cum reliqua omnia pro fine habeant sui perfectionem, ac sese conservare conentur; hic aliud finem, aut terminum non habeat, nisi quietem, & contra omnes Naturæ Leges conetur se ipsum destruere. E contrario autem motus quem ego suppono eas Naturæ Leges sequitur, quæ generaliter omnes producunt dispositiones, & qualitates quæ in materiâ dantur; non minus illas qualitates, quas Eruditi vocant, *Modos & entia rationis cum fundamento in re,* quām eorundem qualitates reales, in quibus ingenue fateor non plus realitatis reperiri, quām in reliquis.

\* Part. 2. Princ. §. 40. 41. 42. Ut alteram suppono Legem, Quod corpus aliud impellens, nullum ipsis dare possit motum, quin eodem tempore tantumdem de suo amittat; neque aliud ipsis auctor, quin ejusdem motus tandem augeatur. Regula hæc cum præcedente juncta maximè consentit cum omnibus experimentis, in quibus cernimus quod corpus ab alio impulsu, vel impeditu, moveri incipit aut desinit.

Præcedente enim lege præsupposita ab omni illa difficultate sumus liberati, cui implicitos se inveniunt Docti, quotiescumque rationem ejus reddere volunt, quod \* lapis aliquamdiu moveri perget, postquam à manu projiciente exiit. Quærendum potius ex nobis suis- set, cur non semper movere perget, cuius reddere rationem facile foret;

foret; Quis enim negare potest aërem in quo movetur utcunque ipsi resistere? Sibilantem audimus aërem quando lapis ipsum dividit; & si flabellum, vel aliud corpus admodum leve & amplum in illo moveatur, difficultate manus sentiri potest, ipsum motibus resistere; tantum abest ut motum promoveret, quemadmodum nonnulli asserere voluerunt. Si vero effectum resistentiae ejus juxta secundam Legem nostram explicare nolimus, & putemus eo magis corpus posse motus aliorum sistere, quo magis valet resistere, ut fortean in principio persuaderi nobis posset, difficile admodum de novo fore rationem reddere, cur \* hujus lapidis motus, occursu corporis mollis, cujusque resistentia debilis est, magis extinguitur, quam si occurrat corpori duriori, magisque ipsi resistenti: Et §. 3<sup>o</sup>. quam de causa simulac impetum fecerit in corpus durum, mox reflectatur potius, quam haeret, aut motum interruptit: cum hac lege supposita nihil in eo difficultatis reliquum sit. Docet enim illa, quod motus corporis occursu alterius proportionaliter ejusdem resistentiae non retardetur, sed modò in quantum ejus resistentia ab illo superata est, eique obtemperando, eam movendi vim recipit, quam alterum amittit.

Licet autem in plerisque motibus, quos in vero Mundo observamus, animadvertere nequeamus, quod corpora ubi incipiunt aut desinunt moveri, impellantur, vel sistantur ab aliis, propterea tamen nulla est ratio judicandi utramque hunc regulam in iis non exactè observari. Quippe certum est, quod corpora hæc saepe possint agitationem recipere à duobus Elementis Aëris & Ignis, quæ semper in iis reperiuntur, quamvis, uti modo dictum, sentiri nequeant, vel etiam ab Aëre crassiore, qui non magis sensibus percipi potest; quodque eam agitationem communicare possint tum Aëri huic crassiori, tum etiam toti Terræ moli, per quæ diffusa animadvertis nequeunt.

Immo, etiamsi omne quod sensus unquam in vero Mundo experti sunt, manifeste videretur repugnare utriusque hujus Regulæ contentis, ratio tamen quæ illas mendocuit, adeò valida videtur, ut non desinerem putare me teneri eas supponere in novo Mundo, quem describo. Quodnam enim firmius, magisve solidum fundamentum inveniri potest ad veritatem stabiendum, etiamsi pro lubitu illud eligere sustineremus, quam adsumere firmitudinem ipsam atque imminutabilitatem quæ est in Deo?

Utra-

Utraque vero hæc Regula ex hoc solo manifestè fluit , quod  
 \* Part. \* Deus sit immutabilis , quodque eadem ratione semper operando,  
 2. Princ. semper eundem producat effectum . Supposito enim Deum primo  
 § 37. ♂ creationis momento omni materiæ simul \* sumtæ determinatam mo-  
 39.  
 \* Part. tus quantitatem indidisse , concedendum est Ipsum semper tantun-  
 1. Ep. 72. dem in \* illâ conservare ; aut non credendum eodem modo Illum  
 \* Part. semper operari . Et si desuper supponamus , inde a primo illo mo-  
 1. Ep. 53. mento diversas materiæ illius partes per quas motus inæqualiter  
 ♂ Part. dispersus est , cœpisse eum retinere , aut invicem communicare , pro-  
 2. Ep. 25. ut ipsarum permittebant vires , necessario concipiendum est Ipsum  
 efficere ut idem facere semper continent ; quod & utriusque Re-  
 læ contentum est.


Ut Tertiam adjiciam , ubi corpus aliquod movetur , quamvis  
 ejus motus fæpe fiat juxta lineam obliquam , nec ullus unquam fieri  
 possit motus , quin sit aliquo modo circularis , ut supra dictum est ,  
 \* Part. \* semper tamen unamquamque ejus partcm seorsim spectatam ten-  
 2. Princ. dere ut moveri pergit secundum lineam rectam . Atque ita illo-  
 § 39. rum actio , hoc est , conatus quem habent ad motum , diversus est  
 ab illorum motu .

Exempli causâ , si rota circum axem vertatur , quamvis omnes ejus  
 partes in orbem moveantur , quia sibi mutuo connexæ moveri aliter  
 nequeunt , conatum tamen habent rectâ progrediendi , uti perspicue  
 liquet , si quædam ex ejus partibus casu à reliquis secessum faciat : si  
 mulac enim libera est , motus ejus circularis esse definit , & secun-  
 dum lineam rectam continuatur .

\* Ibid. \* Similiter cum lapis in funda vertitur in orbem , non modò rectâ  
 pergit simulatque e fundâ exiit ; sed , quod plus est , toto tempore  
 quo in ipsâ est , medium fundæ premit , chordamque intendit , ma-  
 nifestè hoc ipso significans , sibi semper in esse conatum secundum  
 lineam rectam progrediendi , & non nisi coactum in orbem ferri .

Regula hæc eidem inititur fundamento cui duæ reliquæ , at-  
 \* Exd. que ex eo dependet , quod \* Deus unamquamque rem continuâ actio-  
 § 39. ne conservet , & consequenter eam non conservet , qualis paullo ante  
 fuisse potuit , sed præcítè qualis eo temporis momento est , quo con-  
 servat . Inter omnes autem motus nullus est planè simplex , & cu-  
 jus tota natura momento continetur , nisi motus rectus . Ad eum  
 enim concipiendum sufficit ut cogitemus corpus esse in actione ad  
 procedendum versus aliquem terminum ; quod in unoquoque datur  
 instanti

instanti quod determinari potest durante illo tempore quo movetur: cùm ex adverso ad concipiendum circularem, aut alium quemcunque motum, duo ad minimum considerari debeant momenta, vel potius duæ ejusdem partes, & respectus qui inter eas intercedat. Verùm ne occasionem hic arripiant Philosophi inutiles suas subtilitates exercendi, observandum me propterea non dicere unico momento rectum motum fieri posse; sed tantùm id omne quod requiritur ad eum producendum in corpore dari unoquoque instanti quod determinari potest, dum movetur, non verò omne quod necessarium est ad producendum circularem.



Quemadmodum \* si lapis in fundâ per circulum A.B. moveatur, \* Part. & consideretur qualis præcisè sit illo instanti, quo ad punctum <sup>2.</sup> Princ. A. pervenit; experimur quidem ipsum esse in actione ad pergen-  
dum, ibidem enim non subsistit, & ad motum versus determina-  
tam plagam continuandum, puta versus C., illo enim momento  
actio ejus eo versus determinata est; nihil autem inveniri poterit  
quod motum ejus circularem efficiat. Adeo ut, si supponatur  
D quòd

quod tunc exire eundam incipiat, & Deus ipsum, prout tunc se habet, conservet, certum est Deum lapidem non conservaturum cum conatu pergendi circulariter juxta lineam A. B. sed cum conatu procedendi rectam versus punctum C.

Dicendum itaque secundum hanc Regulam, Deum Auditorem unicum esse omnium motuum in quantum sunt, & quatenus recti sunt, varias autem materiae dispositiones eos irregulares ac curvos reddere; quemadmodum Theologi docent, Deum etiam Auditorem esse omnium nostrarum actionum, quatenus sunt, & in quantum bonitatem aliquam habent, sed varias nostrae voluntatis dispositiones eas posse vitiandas reddere.

Plures insuper regulas tradere hic possem, ad determinandum specialiter quando, & quomodo, & in quantum, singulorum corporum motus\* occursum aliorum reflecti, augeri, vel imminui possint; à quibus omnes naturae effectus absolute dependent; sed monuisle sufficiet, quod præter eas quas exposui leges alias supponere nolim, nisi quæ certo fluunt ex veritatibus æternis, quibus Mathematici certissimas, atque evidentissimas demonstrationes suas superstruere solent: illis inquam veritatibus, secundum quas Deus ipse nos docuit se omnia constituisse in numero, pondere, & mensura, quarumque cognitio menti nostræ adeò naturalis est, ut non possimus eas non judicare fallere nescias, cùm illas distinctè percipimus; neque dubitare, quin si Deus plures creasset Mundos, illæ in omnibus non minus forent veræ, quam in hoc: adeò ut qui harum veritatum, nostrarumque Regularum consequentias, quantum sufficit examinare potuerunt, effectus per causas cognoscere possint, &, ut terminis utar Scholasticis, habere demonstrationes à priori omnium eorum, quæ in novo hoc Mundo produci possunt.

Et ne ulla sit reliqua exceptio quæ illud impedit, nostris hypothesis, datâ nobis veniâ, addemus quod Deus nunquam in illo miracula sit perpetratus, quodque Intelligentiae, & rationales animæ, quæ postea in illo supponi poterunt, consuetum naturæ ordinem minimè sint perturbaturæ: proinde tamen non promitto, me omnium quæ sum dicturus exquisitas daturum demonstraciones; sufficit quod viam aperiam per quam quivis eas secum invenire poterit, ubi iis querendis impenderit operam. Ut plurimum fastidiunt ingenia, quæ nimis facilia ipsis offeruntur; utque Tabulam hic conficiam quæ placeat, non minus umbram, quam fulgidos

gidos adhibere colores expedite. Sufficiet itaque quam exorsus sum descriptionem prosequi, cum alium non habeam scopum, quam narrare fabulam.

## C A P U T V I I I .

*Quā ratione in Mundo ante descripto Sol & Stelle generentur.*

**Q**ualecunque \* supposuerimus Deum partibus materiæ in principio indidisse inæqualitates ac confusiones, debuerunt fermè omnes, convenienter legibus quas naturæ imposuit, postea esse redactæ ad eandem magnitudinem, & ad motum mediocrem, atque ita Secundi Elementi induere formam, qualem supra exposui. Ut enim materia hæc spectetur eo in statu, in quo fuisse potuit priusquam Deus ipsam movere cœpit, concipere eam oportet ut corporum quæ in Mundo dantur durissimum, & solidissimum; utque nulla pars ejusmodi corporis impelli potest, quin eadem de causâ itidem moveantur vel protrahantur omnes reliquæ; ita quoque concipiendum, actionem aut vtm movendi vel dividendi, simulac nonnullis ejusdem particulis indita fuit, eodem momento illam per reliquas omnes diffusam & distributam fuisse quantâ fieri potuit æqualitatem.

Verum est hanc æqualitatem non posse omnino perfectam fuisse, primo enim, quia nullum planè in novo hoc Mundo vacuum datur, omnes materiæ partes rectâ moveri non potuerunt; sed cum fermè æquales fuerint, & eadem præter propter facilitate unæ atque aliæ deflectere potuerint, omnes simul in circularem motum consentire debuerunt: & quamvis supponamus Deum eas in principio diversimodè movisse, propterea tamen putandum non est omnes consensilè in gyratione circa unicum modò centrum, sed circum \* plura diversa, quæque concipi possunt ut varium inter se habentia situm.

Ex quibus concludere licet, particulas illas naturæ suæ convenienter minus fuisse motas, aut \* minores extitisse, vel utrumque in iis obtinuisse, quæ centris erant viciniores, quam quæ remotiores. Cum enim omnes conatum habeant rectâ motum continuandi, certum est particulas validiores, id est, ex iis quæ eadem celeritate movebantur majores, & illarum quæ ejusdem magnitudinis

\* Part.  
3. Princ.  
§. 47. &  
48.

3. Princ.  
§. 46.

\* Part.  
3. Princ.  
§. 82.

& seq.

nis erant celerius motas, descripsisse majorem circulum quām reliquæ, utpote ad lineam rectam proprius accidentem. Quantum verò ad materiam tribus, pluribusve horum circulorum interceptam, illa in principio multi minus divisa, minusque potuit tuisse agitata, quām omnis reliqua. Imo quod plus est quia supposuimus Deum in principio inter materiae hujus particulas quamcumque inaequalitatem constituisse, concipiendum est fuisse tunc temporis particulas cuiuslibet magnitudinis & figuræ, ac dispositas ad movendum, vel non movendum, quācunque ratione, & quovis modo.

Hoc autem non impedit quo minus postea ferè omnes ejusdem factæ sint magnitudinis, præ primis quæ in eādem distantiâ permanerunt à centro, circum quod gyrabant. Cūm enim unæ absque aliis moveri non potuerint, necessum fuit particulas magis agitatas de motu suo communicare iis, quæ minus essent motæ, utque majores frangerentur ac dividerentur, quo ita eadem transire possent loca, per quæ præcedentes particulæ fuisse delatae, vel etiam altius adscendissent: quem in modum omnes brevi tempore in ordinem sunt redactæ, adeò ut singulæ particulæ magis minusve à centro recesserint, circa quod movebantur, prout majoris minorisve erant molis, & magis minusve agitatæ, cum reliquis collatae. Quin etiam, cūm magnitudo molis celeritati motus semper adseretur, concipiendum particulas à centro \* remotiores, quia utcunque minores sunt vicinioribus, multò quoque celerius fuisse motas.

\* Part. 3. Princ. §. 82. & Similiter quantum ad earum figuram, quamvis supposuerimus eas in principio cujusvis fuisse generis, & maximâ parte multos angulos, multaque latera habuisse, instar fragmentorum in quæ convertitur lapis, cum disrumpitur, certum est quod postea, ubi \* Part. 3. \* in motu fuere constitutæ, atque in invicem impulsæ, exiles Princ. §. angulorum ipsarum cuspides diffingi, laterumque planities obtundi tamdiu debuerint, donec fermè prorsus rotundæ evaserint, sicuti arenæ granis atque silicibus accidit, quando cum aquâ fluminis volvuntur. Adeò ut nulla insignis differentia nunc reliqua esse possit inter vicinas neque inter illas quæ maximè distant, nisi in quantum utcunque celerius moveri possint, & aliæ aliis non nihil majores esse. Atque hoc non obstante eadem omnibus attribui potest forma.


Excipiendæ tantum funt nonnullæ, quæ cūm à principio paulo mi-

minores fuerint reliquis, eâdem facilitate dividi haud potuerunt, aut quæ, cùm figuræ valde irregulares habuerint, quæque motus essent impedimento, plures potius coaluerunt, quâ disruptæ sunt, ut rotundæ fierent; quâ ratione tertii Elementi formam retinuerunt, ac Planetarum Cometarumque generationi inservierunt, ut postea sum dicturus.

Insuper observandum, quòd materia, quæ undique abrasa est à particulis secundi Elementi, quatenus dum reddebantur sphæricæ, exiles angulorum earundem cuspides attritæ, ac obtusæ sunt factæ, \* debuerit necessario acquirere motum earundem motu multo velociorem, simulque divisibilitatem majorem, aptitudinemque figuræ suas singulis momentis variandi, quo eas \* accommodare valcant Figuris locorum quæ occupabant; quâ ratione induerunt formam Elementi, quod omnium primo suprà exposui.

Dico istas particulas debuisse motum multo \* velociorem acquirere quâ est illius materiæ motus, ejusque ratio est manifesta; <sup>\* Ibid. §.</sup> <sup>51.</sup> cùm enim ipsæ ex parvis interstitiis iisdem interceptis egredi debuerint obliquè, & per angustissimas vias, prout invicem occurabant, æquali temporis intervallo multo plus spatii ipsis percurrendum erat, quâ illi materiæ.

Itidem notandum, quòd \* illa primi Elementi quantitas major <sup>\* Ibid.</sup> quæ fuit, quâ necessaria erat ad implenda exigua spatia, quæ circa Elementi secundi particulas, dum sphæricæ sunt, necessario relinquuntur, versus centra circum quæ gyrabant confluere debuerit; cùm reliqua loca quæ remotiora erant, à secundi Elementi particulis occupentur, \* ibidemque componere corpora perfectè <sup>\* Ibid. §.</sup> sphærica, fluida, & subtilia, quæ sine interruptione, multò ve- <sup>54. & 61.</sup> locius, eodemque modo gyrantia, quâ circum jacentes secundi Elementi particulæ, vim \* habent agitationem illarum quæ ipsis <sup>\* Ibid. §.</sup> proximè adjacent augendi, easque hinc inde propellendi, dum à <sup>60. & 76.</sup> centro versus circumferentiam procedunt; quemadmodum etiam ipsæ invicem motione quâdam premunt, quam mox ut potero exactissimè explicare oportet: illa enim est quam pro Lumine hic accipiemos. Quemadmodum etiam, si licuerit, corporum sphæricorum ex simplici materiâ primi Elementi compositorum, alterum sumemus pro Sole, reliqua pro novi hujus quem describo Mundi Stellis fixis, ut secundi Elementi materiam circum illa gyrandem pro cœlis.



\*Part. 3. Imaginemur, Ex: Grat:,\* puncta S. E. e. A. ea esse centra de quibus loquor, omnemque materiam contentam spatio F. G. G. F. Cœlum esse (*vel Vorticem*) gyrans circum Solem S. Et omnem materiam

teriam spatii H. G. G. H. aliud esse cœlum quod gyrat circa Sidus C. atque ita porro. Adeò ut tot diversi sint cœli (*sive vortices*) quot Stellæ, quarum numerus est indefinitus; & Firmamentum nihil aliud sit quàm superficies absque crassitie, quæ omnes cœlos ab invicem separet.

Concipiendum etiam secundi Elementi particulas \* quæ sunt \* *Part. 3.* versus F. aut G. celerius moveri quàm quæ sunt versus K vel L; *Princ. §.* ita ut earum celeritas gradatim imminuat à circumferentiâ unius- *82. & 83.* cuiusque Cœli usque ad certum terminum. Ex: Grat:, usque ad sphæram K. circum Solem S. & ad sphæram L. circum Stellam e. unde \* gradatim augetur usque ad eorundem Cœlorum centra, *\* Ibid. §.* idque propter motum sideris quod ibidem est: Ita ut eodem tem- *84.* pore quo particulæ secundi Elementi quæ sunt versus K. integrum circa Solem describere possunt circulum, quæ sunt versus T., quas decies Soli propiores suppono, non tantum decem absolve- re, ut fieret si æquali velocitate moverentur, sed forsitan plures quàm triginta. Atque etiam illæ quæ sunt versus F. aut G., quas duabus aut tribus mille vicibus remotiores suppono, fortassis plures quàm sexaginta confidere poterunt. E quo intelligi mox poterit, Planetas elevationes debere moveri tardius, quàm inferiores, qui- ve propiores sunt Soli; atque etiam tardius quàm Cometæ, qui semper remotiores sunt.

Quantum ad singularium particularium secundi Elementi magni- tudinem; concipi poterit \* eandem illam esse in omnibus quæ \* *Ibid. §.* sunt à circumferentiâ exteriori Cœli F. G. G. F. usque ad circulum *84.* K., quin etiam illarum superiores non nihil minores esse inferiori- bus, dummodo differentia magnitudinis non supponatur major proportionaliter differentiâ celeritatis earundem: sed e contra con- cipiendum \* à circulo K. usque ad Solem quo inferiores fuerint eo \* *Ibid. §.* quoque minores esse, atque etiam differentiam magnitudinis ipsa- *82. & 84.* rum majorem esse, vel faltem tantam proportionaliter, quanta est differentia celeritatis illarum: cæteroquin \* enim inferiores, cum \* *Ibid. §.* ratione motus sint validiores, superiorum loca occuparent. *85.*

Observandum ultimo, quòd juxta rationem illam, quâ Solem, reliquaque Stellas fixas efformari dixi, corpora ipsorum adeò par- va esse possint respectu cœli ea continentis, ut \* integri etiam cir- *\* Ibid. §.* culi K. L. similesque, repræsentantes quoisque ipsorum agitatio *40. & 85.* secundi Elementi materiam adigat, non majorem habituri sint ratio-

rationem comparatè ad cœlos, quām punctorum instar centra ipsorum denotantium. Quemadmodum recentiores Astronomi integrum Saturni sphæram cum Firmamento collatam fere ut punctum considerant.

## C A P U T I X.

*De Cometarum, Planetarumque Origine, Motu, reliquisque Proprietatibus, in genere, & de Cometis in specie.*

**U**T itaque de Planetis & Cometis differere aggrediar, notandum, quamvis plurimæ particulæ, mutuo occasu invicem atterendo & dividendo, secundi, vel primi Elementi formam acceperint, quòd tamen propter diversitatem partium materiæ quam supposui, duplicis adhuc generis particulae dentur, quæ tertii formam retinere debuerunt; puta quæ figuræ habebant usque adeò expansas & motui adversantes, ut invicem obviam factæ facilius plures connecti potuerint, atque ita majores fieri, quām disrumpi & comminui: & quæ, cùm ab initio majores, & solidiores reliquis fuissent, in alias impingendo eas frangere, & conterere potuerunt, sed non vicissim ab iis atteri.


Sive itaque imaginemur utrumque hoc particularum genus ab initio valde motum fuisse, sive parum, aut omnino non, certum est quòd postea cådem rapiditate moveri debuerit; quâ materia cœli eas continentis. Si enim prius fuerint celerius motæ, obviam veniendo huic materiæ in ipsam illidendo, partem suæ agitationis brevi tempore in eam transferre debuerunt. Et si è contra nullum ex se ipsis conatum ad motum habuerint, nihilominus tamen, cùm undique ab hac cœlesti materiâ cingantur, motui ejus necessariò obtemperare debuerunt; sicuti navis, & plura alia aquis innatantia, \* non minus majora, quæque valde solida sunt,

\* Part. 2. Princ. §. 61. & Part. quām minora, obtemperant motui aquæ in quâ sunt, nisi alia detur causa quæ illud impedit.

3. §. 25. Et observandum, quòd ex pluribus corporibus aquæ innatantibus, illa quæ satis dura & solida sunt, qualia vulgo naves esse solent, præprimis majores, & valde onustæ, semper multo plus virium habeant ad motum suum continuandum, etiamsi ab hac unicè vim suam acceperint; & contra quæ levissima sunt, qualia sunt

sunt albicantis spumæ acervi, quos procellarum tempore juxta fluminum ripas fluctuantes conspicimus, minus habeant virium: adeò ut si duo concipiamus flumina, alicubi coalescentia, & paulo post secessum ab invicem facientia, priusquam commisceri invicem potuerunt utriusque aquæ, quas supponere oportet admodum tranquillas, viribus satis æquales, sed etiam valde rapidas, naves aliave corpora valde solida & gravia quæ unius motu deferuntur, facile in alterum flumen transfire poterunt; cum ex adverso levissima corpora inde sint recessura, ejusdemque aquæ impetu versus ea protrudentur loca, ubi minus est rapida.

**Ex: Grat:** sint flumen A.B.F. & C.D.G. ex diversis plagis provenientia, invicem occurrentia in E., postea inde deflectentia A. B. versus F. & C.D. versus G., certum est navim H. obtemperantem motui fluiminis A. B. processuram esse per E. versus G. & vicissim navim I. versus F. nisi ambæ eodem tempore illic loci in



invicem impingant, quo in casu major & validior conteret alteram; atque è contra, spuma, arborum folia, plumæ, festucæ, aliaque ejusdem \* generis levissima corpora, fluctuantia circa A. <sup>\* Part. 2. Epif. 13.</sup> motu aquæ eadem continentis propelluntur non versus E. & G. sed versus B., ubi concipiendum ipsum minus validum, ac minus velocem esse quam versus E. quia hac ratione cursum instituit secundum lineam minus accendentem ad rectam.

Præterea observandum, quod æquè leviora ejusmodi corpora, E quam

quam alia graviora & solidiora, invicem occurrentia coalescere possint, & gyrando cum aquâ cui innatant, plura simul magnos constitueri globos, quales conspicuntur in K. & L. quorum alii, ut L., tendunt versus E., & alii uti K. vergunt versus B. prout magis minus solidi fuerint, atque ex particulis magis vel minus crassis ac solidis conflat.


Quo exemplo facile est percipere, quod quounque in loco in principio partes materiae fuerint, quae nec secundi, neque primi Elementi formam induere potuerunt, omnes quae majores & solidiores erant reliquis, brevi tempore vergere debuerint versus extiorem circumferentiam cœli (*sive vorticis*) in quo erant, & migrare indesinenter, ex uno cœlo (*sive vortice*) in aliud, neque unquam in eodem diu morari, & contra quod omnes illæ quæ minus solidæ erant fuerint propulsæ singulæ versus centrum cœli in quo versabantur, motu materiae ejusdem cœli, quodque propter figuram, quam iis attribui, illæ invicem occurrente plures coalescere debuerint, & magnos constituere globos, qui in cœlis gyranter motum habeant ex iis omnibus temperatum quem illorum particulæ separatim habere possent, adeò ut nonnullæ versus cœlorum circumferentias ferantur, aliæ verò versus centra.

Sciendum quoque illos globos, qui hunc in modum versus cœli (*sive Vorticis*) alicujus centrum se recipiunt, \* pro Planetis habendos hic esse, eos autem qui plures transeunt cœlos accipientes esse pro Cometis.

\* Part. 3. Princ. §. 140. Quod autem primo Cometas spectat, observandum in novo hocce Mundo paucos esse, respectu numeri cœlorum. Quamvis enim multi in principio fuissent, plures transeundo cœlos, omnes fermè successu temporis in invicem impingere ac conterere debuissent, uti duabus naviculis invicem occurrentibus accidere dixi, adeò ut nulli nisi majores superesse amplius possint.

\* Ibid. §. 127. Notandum etiam, ipsos, \* quando ex uno cœlo in aliud migrant, ante se propellere portionem materiae illius cœli ex quo egrediuntur, eidemque involutos manere donec satis profundè alterius cœli terminos ingressi fuerint, quo ubi pervenerint uno veluti ictu eam excutient, non plus forte temporis huic impendendo, quam Sol facit supra horizontem nostrum mane adsurgendo: ita ut multò moveantur tardius cum ex aliquo cœlo sunt egressi, quam paulò post ubi illud intrarunt.

Sicuti



Sicuti hic videre est Cometam \* motum instituentem secundum li- \* Part.  
neam C. D. Q. R. quamvis ingressus sit limites coeli F. G. F. ubi per- 3. Princ.  
venit ad punctum C. nihilominus tamen manere implicitum materiae §. 127.  
cœli

cœli F.I., è quo venit, nec prorsus ab eâ liberari, nisi ubi præter propter fuerit in puncto D. sed simul atque illuc pervenerit, ipsum incipere obtemperare motui cœli F.G.G.F. atque ita multò celerius quā ante moveri. Postea motum continuando versus R. paulatim motum ejus retardari, in quantum appropinquat ad Q. partim ob resistentiam cœli F.G.H. cuius limites subire aggreditur; partim etiam, quia propter minorem distantiam quæ est inter S. & D. quā inter S. & Q. omnis materia cœlestis quæ ibidem datur celerius move-

\* Part. 2. Ep. 13. pag. 57. tur; quemadmodum videmus \* flumina multò semper rapidius fluere ubi ipsorum alveus arctior est magisque præpeditus, quā amplior est magisque diffusus.

Desuper observandum Cometam hunc non posse apparere iis qui

\* Part. 3. Princ. 3. 132. habitant circa centrum cœli F.G.F. nisi \* illo tempore quo vergit à D. usque ad Q. sicuti clarius mox percipi poterit, ubi quid Lumen

\* Ibid. §. 129. sit exposuero: Eodem etiam medio innotescet, quod ejusdem \* motus velocior multò videri debeat, & corpus ejus multò majus, nec non lumen multò vividius in principio apparitionis ejus quā sub finem.

Si præterea exactius consideretur, quā ratione lumen quod ab ipso venit versus omnem cœli plagam se debeat diffundere, percipi quoque poterit, quod cum valde magni sint, quales ipsos supponere oportet, radii circum illos apparere possint, qui se se non-nunquam \* sub formâ comæ undique diffundant, interdum ab

\* Ibid. §. 133. unâ tantum parte sub formâ caudæ colligantur, pro diversitate locorum in quibus sunt qui ipsos observant; usque \* adeo, ut nihil eorum fugiat quæ hactenus in illis Cometis observata sunt, qui in vero Mundo apparuerunt, saltem quæ pro veris haberi debent. Si enim Historicorum nonnulli ad prodigium effingendum, quod Turcarum minetur incremento, referant A. 1450. Lunam à Cometâ eclipsin

tuisse passam, qui sub ipsâ movebatur, similiave: & si Astronomi perverse computant quantitatem refractionum cœlestium quas ignorant, & \* celeritatem motus Cometarum quæ incerta est, sufficientem iis,


\* Part. 2. Epist. 13. pag. 56. parallaxin attribuendo, ut prope Planetas locentur, vel etiam sub iis, quo nonnulli eos quasi pertrahere volunt, credere ipsis non tenemur.

## C A P U T X.

*Expositio Planetarum, præprimis Terra atque Luna.*

**M**ulta etiam circa Planetas veniunt consideranda, quorum primum est, quod, illicet omnes tendant versus centra cœlorum in

in quibus versantur, nunquam tamen usque ad illa centra pervenire queant: Sol enim & Stellæ fixæ, ut supra dixi, ea occupant; sed ut distinctius percipiatur quibus in locis illi hærent, observemus, Ex: Grat:, [eum qui notatus est  $\dot{h}$ . quem suppono sequi motum ma-



\* Part. 3. teriae cœlestis, quæ est versus circulum K., atque \* consideremus  
 Princ. §. hunc Planetam, si utcumque plus haberet virium ad motum suum  
 123. & rectâ continuandum, quâm ambientes secundi Elementi particu-  
 140. lae, loco ejus quod sequatur circulum K. progrederetur versus Y.  
 atque ita ulterius quâm nunc à centro S. recederet. Porro quia  
 particulæ secundi Elementi quæ ipsum cingerent in Y. celerius mo-  
 ventur, & utcunque minores sunt, vel saltem non maiores, quâm  
 quæ sunt versus K. ipsi desuper plus virium concederent ad ulte-  
 rius progreendiendum versus F. adeo ut ad circumferentiam usque il-  
 lius cœli motum continuaret, nec in ullo loco intermedio subsi-  
 stere posset; \* unde postea facile aliud ingrederetur cœlum, at-  
 \* Ibid. §. 127. que ita loco Planetæ fieret Cometa.

Unde liquet nullam Stellam hærere posse in toto hocce vasto  
 spatio, quod est à circulo K. usque ad circumferentiam F. G. F.  
 \* Ibid. §. \* 41. per quod Cometæ cursum instituunt. Præterea quoque necessum  
 est ut Planetæ non habeant plus virium ad motum rectâ continuandu-  
 dum, quâm particulæ secundi Elementi quæ sunt versus K. quoniam illi eodem quo hæ moventur impetu, & omnia corpora quæ  
 majorem habent impetum Cometæ sint.

Concipiamus itaque hunc Planetam ȳ. minus habere virium,  
 quâm secundi Elementi particulæ ipsum cingentes; adeò ut sub-  
 sequentes particulæ, quæque illo utcunque depressiores sunt, re-  
 flectere ipsum valeant, atque efficere ut vice ejus, quod sequatur  
 circulum K. descendat versus ȳ. quo ubi pervenerit fieri potest ut  
 viribus æqualis sit particulis secundi Elementi quæ tunc ipsum  
 \* Ibid. §. 82. 84. cingunt. Cujus rei ratio est, quod hæ \* secundi Elementi parti-  
 culæ, cum majorem habeant motum, quâm quæ sunt versus K.  
 & 140. ipsum etiam magis impellant; cumque itidem \* minores sint, us-  
 3. Princ. 82. 85. que adeò ipsi resistere haud poterunt; quo in casu exactè in æqui-  
 librio inter illas hæredit, & simili ratione motum circa Solem in-  
 140. stituet atque illi, non magis, vel minus inde deflectendo, quâm  
 illi.

Eodem vero Planetâ existente versus ȳ. si minus adhuc virium  
 habeat ad motum rectâ continuandum, quâm cœlestis materia quæ  
 ibidem est, depressius adhuc per eandem adgetur versus ȳ. atque  
 ita porro, usque dum tandem circumvalletur ejusmodi materiâ,  
 quæ neque plus, neque minus, quâm ille, virium habeat.

Atque ita videmus plures dari posse Planetas, alios remotiores,  
 pro-

propiores alios Soli, quales hic sunt §. 24. §. 25. T. §. 26. quorumque infimi quique minus solidi sunt ad superficiem ejus pervenire possunt; sed quorum superiores nunquam egrediuntur circulum K. qui admodum quidem magnus est, si cum singulis Planetis seorsim comparetur, nihilominus \* tamen valde parvus respectu totius coeli F.G.F. cuius, ut dixi, quasi centrum haberit poterit.

Verùm, si necdum satis exposuisse videar causam, quæ effice-  
re valeat ut particulæ cœlestes quæ sunt extra circulum K. non  
obstante quòd multò minores sint Planetis, plus tamen quàm illi  
virium habeant ad rectâ motum continuandum; considerandum  
vím \* illam non à solâ quantitate materiæ uniuscujusque corporis,  
sed etiam ab extensione superficiei eorundem dependere. Quam-  
vis enim ex duobus corporibus eādem celeritate motis, si alterum  
duplo plus habeat materiæ quàm alterum, illud quoque duplò plus  
habeat motus; propterea tamen non dicendum, illud etiam duplò  
plus virium habere ad motum rectâ continuandum, sed præcisè  
tantum habebit virium, si ejus superficies exactè etiam fuerit du-  
plò major, cuius causâ semper occurrat duplò pluribus corporibus  
ipsi resistentibus: multò autem minores habebit vires, si ejusdem  
superficies multò plus quàm duplo major extiterit.

Notum autem \* est cœlestes particulæ prorsus fermè rotundas esse, eamque etiam ex omnibus figuris sub minori superficie plus materiae continere; atque ex adverso planetas, cùm constent particulis figuræ admodum irregularis & diffusæ pro ratione molis magnam habere superficiem, ita ut plus virium habere possint quâm plurimæ cœlestes particulæ, & tamen etiam minus habere quâm quedam paulò minores, & quæ centro viciniores sunt; sciendum enim est ex duobus globis prorsus solidis, quales sunt particulæ cœlestes, minorem semper majorem habere superficiem ratione molis, quâm major habet.

Quod & facile experientia probari potest. Magnus enim im-  
pellatur globus, ex multis arborum ramulis conflatus, inordinate  
unitis atque invicem coacervatis, cuiusmodi concipiendae sunt par-  
tes materiae planetas constituentes; certum est cum ad tantam di-  
stantiam non posse motum continuare, etiam si impulsus fuerit vi  
magnitudini ejus proportionata, atque alius globus, qui multo  
minor est, & simili constat ligno, sed qui omnino solidus est: cer-  
tum quoque est alium etiam globum ex eodem ligno, & prorsus  
enim

solidum, confici posse, sed qui tantæ parvitatis est, ut minorem habeat vim ad motum continuandum, quâ prior: tandemque priorem hunc plus minusve virim habere posse, prout ramuli ipsum constituentes magis aut minus densi vel constipati fuerint.

\* Part. 3. Unde videre est quâ ratione plures Planetæ \* in circulo K. ad Princ. §. diversas à Sole distantias hærere possint, & quomodo non illi so-  
147. lùm, qui extrinsecè apparent majores, sed etiam illi qui intrinsecè solidiores sunt magisque compacti, ab illo magis remoti esse debeant.

Post hæc observandum, sicuti experimur naves, quæ motum fluminis sequuntur, nunquam eâdem velocitate moveri cum aquâ eas abripiente, & majores minori celeritate moveri quâ minores, similiter quoque Planetas, licet materiae cœlestis motum sequantur ei haud resistendo, ac moveantur eodem cum illâ torrente, diei non posse eâdem præcise moveri velocitate, quâ hæc; ipsa quoque inæquabilitas motus ipsorum utcunque illi respondere debet, quæ intercedit inter magnitudinem moliseorundem, & parvitatem ambientium particularum cœlestium. Cujus ratio est, quod quanto


\* Part. 3. corpus generaliter \* majus fuerit, tanto facilius partem sui motus Princ. §. aliis communicare potest, & tanto difficilius alia de suo motu huic 88. impertiri. Quamvis enim multa exigua corpuscula, quæ simul in

corpus majus agunt, vires hujus æquales habere queant, nunquam \* Ibid. §. tamen efficere poterunt ut illud eâdem \* cum illis celeritate mo-  
124. & veatur; licet enim respectu quorundam motuum quos hæc illi com-  
125. municant, inter se convenient, dubio procul simul etiam differre debent ratione aliorum, quos illi communicare néqueunt.

E quibus duo sequuntur, quæ, prout mihi videtur, notatu valde digna sunt. Primum est, quod materia cœlestis non tan-  
tum debeat efficere ut Planetæ circum Solem volvantur, sed etiam circa proprium centrum, nisi specialis aliqua causa illud impediat; & paryum proinde circum illos efformare cœlum, quod eâdem ratione movetur quâ majus. Alterum est, quod si invicem occur-  
rant duo planetæ \* diversæ magnitudinis, sed dispositi ad motum

\* Part. 3. Princ. §. in cœlo ad eandem à Sole distantiam istituendum, adeò ut alter al-  
149. & tero, exactè tanto sit solidior, quantò alter major est, horum mi-  
Part. 1. nos, dum celerius movetur majore, parvum hujus cœlum (sive Epi. 69. voreicem) ingredi, & cum eo indestinentur gyrate debet.

Qua enim cœlestes particulae quæ sunt Ex: Gr: versus H. cele-  
rius



fius moventur quām Planeta T. quem propellunt versus Z. evidens est eas ab ipso reflecti debere, atque cogicursum instituere versus B. Dico versus B. potius quām D. Cūm enim \* conatum ha- \* Part. beant secundum 3. Princ. lineam rectam in §. 149. motu perseverandi, versus extimam partem circuli A. C. Z. N., quem de-

scribunt, potius deflectere debent, quām versus centrum S. Dum itaque moventur ab A. versus B. cogunt Planetam T. secum gyrale circa centrum & vicissim Planeta gymando occasionem illis præbet cursum instituendi à B. versus C. porro versus D. & A. atque hunc in modum efformandi novum particulare cœlum (*sive voricem*) circum ipsum, cum quo deinceps moveri semper perget, ab Occidentali ut dicitur plagâ cœli versus Ortum, non modo circum Solem, sed etiam circa proprium centrum.

Cūm porro notum sit, Planetam C in statu esse ad cursum institendum juxta circulum N. A. C. Z. æquè ac T. eumque celerius moveri quām hic, quia multò minor est: facile percipiemus, quòd, in quācunque cœli parte ipsum in initio esse contingat, brevi accedere debeat ad extimam superficiem parvi cœli A. B. C. D. atque ubi huic fuerit conjunctus, quòd deinceps semper motum ejus sequi debeat circa centrum T. unâ cum secundi Elementi particulis, quæ versus superficiem ejus existunt.

Cūm enim suppositum fuerit, ipsum viribus præcisè æquare de-  
bere  
F

bere materiam hujus cœli, ut gyret juxta circulum N. A. C. Z. si ibidem alius non daretur Planeta, concipiendum paulo ipsum plus habere si contorqueatur secundum circulum A. B. C. D. cùm sit angustior, & consequenter quantum potest à centro T. semper deflectat, uti \* lapis in fundâ agitatus perpetuò tendit ut recedat

\* Part. 2. Princ. à centro circuli, quem describit: interim tamen hic Planeta ubi §. 39. fuerit versus A. non propterea deflectet versus L. quia ingredetur locum cœli, cuius materia vim haberet ipsum repellendi versus circulum N. A. C. Z. Itidem ubi fuerit versus C. non descendet versus K. quia ibidem cingeretur materia quæ ipsi vim imperiretur ad adscendendum versus eundem circulum N. A. C. Z. Neque etiam magis verget à B. versus Z. multo minus à D. versus N. quia nec adeo facile, neque tam cito illuc, quam versus C. & A. progreedi potest. Adeo ut quasi connexus superficie parvi cœli A. B. C. D. manere, atque indefinenter cum illo gyrate debeat circum T. Quo impeditur ne aliud exiguum cœlum circa ipsum efformetur, quod de novo ipsi gyrationem circa centrum procuret.

Non addo quam ratione major dari possit numerus planetarum inter se conjunctorum, quorumque alter movetur circa alterum, quales sunt quos Astronomi circa Jovem & Saturnum observarunt. Omnia enim hic referre non constitui, atque de hisce duobus speciatim non differui, nisi ut Terram, quam inhabitamus, repræsentarem per eum qui notatus est T. & Lunam circum ipsam gyrantem, per eum qui est insignitus C.

## CAPUT XI.

*De Gravitate.*

**C**onsiderari nunc velim qualis Terræ hujus gravitas sit, id est, vis illa quæ omnes ejus partes unit, atque efficit ut versus cen-

\* Part. trum vergant, singulæ magis aut minus, prout crassiores aut soli-

4. Princ. diores fuerint: nihil hæc aliud est, \* quam quod particulæ parvi

§. 22. & cœli (id est vorticis) terram ambientis, multò velocius circa cen-

23. Part. trum gyrantes quam hujus partes, majori quoque vi ab eâ recedere

2. Ep. 25. conentur, consequenter ejus partes illuc propellant. In quo si alii


Ep. 28. quid occurrat difficultatis, exinde quod modo dixerim, corpora

Ep. 32. & quid occurrat difficultatis, exinde quod modo dixerim, corpora

ma-

magis compacta & solidiora, qualia supposui Cometarum esse corpora, versus circumferentias ccelorum tendere, quæque minus solida & compacta sunt, versus centra adigi, quasi ex eo sequeretur, partes Terræ minus solidas versus centrum ejus debere propelli, reliquas autem ab eo recedere: notandum est, cum dixi corpora solidiora, quæque magis sunt compacta conatum habere recedendi à centro alicujus cœli, quod supposuerim illa jam ante eodem agitata fuisse motu, quo ejusdem cœli materia. Certum enim est, si nondum moveri cœperint aut motu minus veloci ferantur, \* Part. quām requiritur ad obtemperandum motui illius materiæ, quod §. Princ. in principio versus centrum, circa quod volvuntur, protrudi debeant. §. 119. & Quin etiam quantò majora & solidiora fuerint, tantò etiam majori impetu & velocitate impellantur, quod tamen non impedit, quin si fatis fuerint solida ad constituendum Cometam, paulo \* post ad \* Ibid. §. extimam cœli circumferentiam secesserant. Agitatio enim, quam §. 120. descendendo versus centra acquisiverunt, dubio procul ipsis concedit impetum ulterius procedendi, & versus circumferentiam adsurgendi.

Sed quo clarius hoc percipiatur, attendenda Terra E. F. G. H. unâ cum aquâ 1234 & aëre 5678. quæ, uti postea dicendum, ex ejusdem particulis minus solidis, eandemque cum illâ molem constituentibus, conflata sunt. Dehinc notanda cœlestis materia, quæ non modò totum adimplerat spatium quod intercipitur circulis A. B. C. D. sed omnia quoque exilia intervalla, quæ inferius interjacent particulis, Aëris, Aquæ, & Terræ. Concipiendum etiam, cum Coelum & Terra simul circum centrum T. volvantur, quod omnes eorum partes ab illo recedere conentur, multò autem magis cœli quām Terræ: quia illæ majori sunt in motu; atque etiam inter Terræ partes, illæ majorem inde recedendi conatum habent quām reliquæ, quæ magis moventur versus eandem plagam, quâ cœli particulæ; adeo ut si totum illud spatium quod extra circumflexum A. B. C. D. est foret vacuum, id est, repletum materiâ ejusmodi, quæ aliorum \* corporum actionibus resistere nequit, neque ullum notatu dignum producere effectum (illo enim in sensu vox §. 60. & vacui accipienda est) omnes particulæ cœlestes, quæ sunt intra circumflexum A. B. C. D. inde primo essent recessuræ, post eæ Aëris, §. 21. quas sequerentur Aquæ, & tandem \* etiam Terræ; tanto singulæ magis expeditè, quanto minus reliquæ ejusdem moli sunt impli- §. 21. citæ;



citæ; simili ratione quâ lapis è fundâ, cum quâ movetur, eructat, simulac remittitur tendo; & sicuti pulvis gyrandi turbini inspersus mox inde versus quamcunque dispergitur plagam.

Considerandum porro, quòd cum nullum ejusmodi spatium vacuum sit extra circulum A.B.C.D. neque etiam ullum quod cœlestes particulae huic circulo interceptæ ingredi poscent, nisi eodem momento aliæ, ipsis exactè æquales, in locum ipsorum succedant; Terræ etiam partes ulterius quâm sunt à centro T. recedere nequeant; nisi totidem cœli, aliæve terrestres particulae descendant, quæ adimplendis illarum locis sufficiunt; neque vicissim proprius accedere, nisi totidem etiam aliæ in illarum loca adsurgant; adeo ut unaquæque particula terræ iis opponatur quæ locum ejus subire debent, eo in casu cùm adscendit; atque etiam iis quæ eum occupare debent si descendat; id est, sicuti libræ bilancis invicem sunt oppositæ; id est, uti altera subsidere, vel ad-

\* Part.  
4. Prince.  
§. 23.


surgere nequit, nisi eodem momento oppositum ejus alteri accidat; ac semper gravior præponderat alteri: similiter quoque lapis, Ex: Gr: R. quantitatæ aëris exactè moli ejus æquali, cuius locum occupare deberet, si ulterius à centro T. recederet, ita opponitur, ut aëris ille in tantum descendere deberet, quantum hic adscenderet; atque etiam æquali alterius aëris quantitatæ, ipsi substitratæ, cuiusque subiret locum si magis ad centrum appropinquaret, ita opponitur, ut adscendente aëre necessarium ipsi sit descendere.

Manifestum itaque est lapidem hunc, (cùm multò plus contineat materiae terrestris, & ad illud compensandum tantò minus cœlestis materiae, quām molis aëris ejusdem quantitatæ; atque etiam cùm terrestres ejus particule minus à materiâ cœlesti moveantur, quām aëris illius particulae) nullam habere vim ad adsurgendum supra aërem, sed è contra \*aëri incisæ ad descensum ipsi procurandum; adeo ut aëris respectu lapidis sit levis, cùm gravis sit si cum purâ cœlesti materiâ conferatur. Atque ita videre est, singulas corpora rum terrestrium particulas premi versus T. non ab omni materiâ circumfluente indiscriminatum, sed tantum à mole ejusdem materiae magnitudini ejus exactè respondente, quæ cùm ipsi subjaceat, locum ejus subire potest si descendat. Hoc ipsum in causâ est, quod unius ejusdemque corporis partes, quæ Homogeneæ dicuntur, uti aëris vel aquæ inferiores, haud multo magis premantur quām superiores, & quod homo \* profundè admodum aquæ submersus, pressionem ejus non magis tergo experiat, quām si ejusdem superficie innataret.

Verum si quis putet cœlestem materiam dictâ ratione descensum procuravantem lapidi R. versus T. infra circumfluentem aërem, debere etiam efficere, ut versus 6. aut 7. id est, versus Occasum, vel Oritum multò celerius quām aëris ille progrediatur, adeoque perpendiculariter non descendant, uti corporibus gravibus in verâ Terrâ accidit; considerandum primo, quod omnes particulae terrestres contentæ circulo 5678. cùm à materiâ cœlesti premantur versus T. eâ ratione quam sum expositurus, & desuper figuræ habeant maximè irregulares & diversas, uniri & inter se coalescere debeant, atque ita molem constituere, quæ motu cœli A. B. C. D. omnino abripitur, adeo ut dum illa movetur in orbem, particulae ejus, quæ Ver: Gr: sunt versus 6. semper maneant directè iis oppositæ, quæ sunt in 2. & F. absque ullâ sensibili declinatione in hanc illamve par-

\* Part.  
4. Princ.  
§. 23.

\* Part.  
2. Ep. 32.



tem, nisi in quantum venti aliæve particulares cauſæ eas illuc adigunt.

Præterea observandum, parvum cœlum A. B. C. D. multò celerius gyrate quām Terræ, illas autem cœlestes particulas, quæ terrestrium corporum poris sunt implicitæ, non posse notabiliter velocius gyrate circa centrum T. quām illa corpora, quamvis convenienter dispositioni eorundem pororum pluribus aliis modis moveantur.

Ut tandem percipiatur, materiam cœlestem, quamvis lapidem R. versus centrum adigat, quia majorem ab eo recedendi conatum habet quām lapis, non debere etiam ipsum cogere ad deflectendum versus Occasum, etiamsi ipsa quoque majori impetu versus Ortum feratur quām ille; considerandum, hanc cœlestem materiam habere conatum recedendi à centro T. quia conatur secundum lineam rectam in motu continuare, ipsam verò non tendere ab Occasu versus

fus Ortum , nec simpliciter quantum conatur eum rapiditate eâdem continuare ; & quia ipsis cæteroquin perinde est five sint versus 6 . aut 7 .

Evidens autem est , ipsam utcunque magis secundum lineam rem moveri quando laj idi R. descendum procurat versus T. quâm si lapidem in R. relinqueret : Ipsa vero haud possit adeò celeriter moveri versus Ortum , si lapidem reflecteret versus Occasum , quâm si eum in loco suo relinqueret , vel etiam si ipsum ante se propelleret .

Sed ut etiam percipiatur , materiam cœlestem , et si plus habeat virium ad lapidem R. versus T. deprimendum , quâm ad efficiendum , ut circumfluens aér descendant , ipsam tamen non plus habere virium ad eundem ante se ab Occasu versus Ortum propellendum , neque consequenter eum hac ratione celerius movendum ; considerandum , tantam exactè materiae cœlestis quantitatem in ipsum agere ad descensum ei versus T. procurandum , & ad hoc omnes suas impendere vires , quantum materiae terrestris compositionem corporis illius ingreditur ; cùmque multò plus materiae terrestris eam ingrediatur , quâm æqualem aëris quantitatem ejusdem dimensionis , multò efficacius ipsum versus T. adigi , quâm aér ; sed cùm motus versus Ortum ipsi procurandus erit , omnem materiam cœlestem , circulo R.F. contentam , adversus ipsum agere , simulque etiam adversus omnem materiam terrestrem aëris , eidem circulo intercepti ; atque adeò , cùm non plus detur quod in ipsum , quâm in aërem hunc agat , lapidem non debere , hoc respectu , citius volvi , quâm aér .

Unde percipi potest , rationes quas plurimi Philosophorum adhibent ad refellendum veræ Terræ motum , nihil urgere adversus motum Terræ , quem describo ; veluti cùm inquiunt , si Terra moveretur , corpora gravia perpendiculariter versus centrum ejus non essent descensura , sed potius hinc & inde per cœlum dispergerentur : tormenta bellica versus Occasum directa , ad multo majorem distantiam glandes exploderent , quâm versus Ortum ; quódque semper in aëre venti intensiores perciperentur , & graviora audirentur murmura , similiaque , quæ locum non habent , nisi supponatur , Terram non deferri motu circumfluentis cœli , sed aliâ quâdam vi in illo moveri , & diverso modo quâm cœlum .

## CAPUT XII.

*De Fluxu & Refluxu Maris.*


**E**XPOSITA hac ratione Terræ hujus gravitate , exortâ à materiæ cœlestis , ejus poris inexistentis , actione , agendum etiam est de quodam speciali motu totius molis , à præsentia Luna excitato , & de quibusdam particularibus ab illo dependentibus.

Hujus rei ergo sit , Ver: Gr: , Luna in B. ubi ipsa supponi potest ut immobilis , comparata cum illâ celeritate , quâ movetur cœlestis

\* Part. 4. materia , quæ ipsi subjet ; & consideretur , \* hanc cœlestem materiam ,  
Princ. §. dum spatum , per quod fluit inter O. & 6. angustius est quam inter B.  
49. Part. 2. Ep. 13. & 6. foret , si Luna non occuparet intervallum quod est inter O. & B.  
p. 63. & indeque dum ipsa ibidem celerius movetur , necessario vim habere to-  
Ep. 14. p. tam Terram nonnihil versus D. propellendi ; adeo ut centrum ejus T.  
74. item Ep. 5. p. recedat à puncto M. quod totius cœli A. B. C. D. centrum est . Nihil  
71. enim præter materiæ cœlestis motum Terram eo , in quo est , loco  
sustinet . Cūmque aér 5678. & aqua 1234. quæ Terram ambiant ,  
corpora sint fluida ; evidens est , eandem vim , quæ hoc modo illa  
premit , debere ipsis subsidentiam versus T. procurare , non tan-  
tum in parte 6. & 2. sed etiam in oppositâ 8. & 4. & ad illud com-  
pensandum majorem altitudinem in locis 5. & 1. item in 7. ac 3.  
Adeo ut , cùm superficies Terræ E. F. G. H. maneat rotunda , quia  
dura est , superficies aquæ 1234. & aëris 5678. quæ sunt fluida ,  
sphæroideæ evadant .

\* Part. 4. Considerandum porro , quod , cùm Terra interim circa centrum  
Princ. §. suum volvatur , atque ita dies efficiat , quales uti nostræ in 24. ho-  
50. ras dividi possunt , partem ejus F. , quæ nunc è regione Luna B.  
& in quâ hac de causâ aqua minus est elevata , elapsis sex horis de-  
bere esse è regione cœli C. ubi aqua erit altissima , & intra 12.  
horas è regione cœli D. ubi aqua de novo maximè depresso erit :  
adeo ut mare , quod exhibetur per aquam 1234. fluxum & refluxum  
singulis sex horis circa hanc Terram pati debeat , sicuti in eâ ,  
quam inhabitamus , Terrâ eandem subit .

\* Ibid. §. Observandum quoque , interea temporis dum Terra hæc \* ab  
53. & E. per F. versus G. id est , ab Oecidente per Meridiem versus Ortum  
54. movetur , intumescentiam aquæ & aëris existentis in 1. 5. & 3. 7. ab



ab Ortu versus Occasum migrare , efficiendo ibidem fluxum sine refluxu, similem prorsus huic, qui , juxta Nautarum relationes , navigationes multo faciliores in mari nostro efficit ab Ortu versus Occalum, quàm ab Oriente versus Occidentem. Utque nihil hic omittatur, adjiciamus \* Lunam singulis mensibus eundem absolu-  
vere circulum, quem Terra singulis diebus perficit, atque ita effi-  
cere, ut puncta 1. 2. 3. 4. designantia maximas elevationes & sub-  
fidentias maris, paulatim versus Orientem progrediantur, adeò ut  
hae maris reciprocationes non exactè singulis sex horis immutentur,  
sed singulis vicibus retardentur præter propter quintâ parte horæ,  
uti quoque in nostris maribus accidit.

\* Part. 4.  
Princ. §.  
5o.

Insuper \* notandum , parvum coelum (*sive vorticem*) A. B. C. D. \* *Ibid. §.*  
non exquisitè rotundum esse, sed ulterius se diffundere versus A. & *§ 1.*  
C. eique convenienter moveri tardius , quàm versus B. & D. ubi  
adeò facile infringere nequit motum alterius cœli ipsum continentis:

G

ita

## TRACTATUS

ita ut Luna, quæ semper extimæ ejus superficie affixa quasi manet, paulo celerius moveri debeat, minusque à suo tramite defletere, proindeque maris fluxus & refluxus efficere majores, quando est in B. cum plena, vel in D. ubi nova est, quam cum est in A. vel C. ubi semiplena est; quæ particularia sunt, qualia etiam Astronomi circa veram Lunam observarunt; quamvis adeò ipsis facile non sit eorum reddere rationem juxta hypothesin quam adhibent.

Quod ad reliqua ejusdem Lunæ effecta, quæ variant cum plena, vel nova est, manifestum est illa ab ejusdem lumine depende-

\* Part. 4 re. Et \* quantum ad reliqua fluxus & refluxus particularia, ea Princ. §. ex parte dependent à vario littorum maris situ, partim à ventis præ- 55. & 56. dominium obtinentibus iis temporibus, ac locis, in quibus ea ob- servantur. Tandem quod spectat reliquos universales motus, cum Terræ, tum etiam Lunæ, reliquorumque siderum, & cœli, sa- tis illi possunt intelligi ex iis quæ dixi, vel potius subiecto meo haud inserviunt. Adeo ut nihil mihi hic reliquum sit, quam ut eam cœli siderumque actionem exponam, quam pro Lumine accipien- dam esse modo diximus.

## CAPUT XIII.


*In quo consistat Natura Luminis.*

**S**Æpius jam ante dixi, corpora in orbem acta semper habere conatum recedendi a centro circuli quem describunt; necesse autem est ut specialius definiam, versus quam plagam Cœlorum Si- derumque partes vergant.

\* Part. 3. Hunc in finem sciendum est, cum \* dico corpus habere cona- Princ. §. tum versus aliquam partem tendendi, me propterea non velle ut ima- 56. ginemur ipsum habere cogitationem aut voluntatem, quæ ipsum impellat; sed modo ipsum esse dispositum ad illuc procedendum, sive revera illuc moveatur, sive aliud ipsum impediat; præprimis enim posteriori hoc in sensu utor vocabulo conatum habendi; cum significare videatur quandam nisum, omnisque nisus resistentiam

\* Ibid. §. prælupponat. Quia \* verò plures sæpe reperiuntur causæ, quæ si- 57. mul in idem corpus agunt, atque unæ aliarum effectus impediunt, pro variâ consideratione dicere possumus eodem tempore illud ten- dere (sive ire conari) versus diversas partes, sicuti modo fuit dictum, terræ partes conari recedere à centro suo, si solæ conside- rentur, & contra conari ad illud accedere, in quantum vis particu- larum

larum cœlestium, ipsas illuc propellentium, spectatur; & denuo conari inde recedere, si eas consideremus veluti oppositas aliis terrestribus particulis solidiora corpora, quām ipſæ sunt, constituentibus.




Atque ita lapis in fundâ rotatus juxta circulum A. B. tendere conatur versus C. quando est in A. si solam ejus agitationem attendamus; & ire conatur circulariter ab A. versus B. si nihil praeter ejusdem motum spectemus, ut directum & determinatum longitudine funis, ipsum continentis; tandemque conatur vergere versus E. si nullâ habitâ ratione illius agitationis, cuius effectus non impeditur, alteram partem agitationis ejusdem opponamus resistentiæ, quam perpetuò fundâ patitur.

Sed quo distinctius postremum hoc percipiatur, lapidis \* conatus procedendi ab A. versus C. concipiendus tanquam ex duplice alio compositus, puta, ex conatu gyrandi juxta circulum A. B. atque ex alio conatu rectâ procedendi secundum lineam V. X. Y., essentque hi duo ita inter se comparati, ut, lapide existente in viâ fundâ V. si esset in circulo A. B., postea idem esse debeat in loco X. cum funda esset in B., & in Y. si fuerit funda in F. atque ita semper maneret in linea rectâ A. C. G. Cum \* porro constet alteram partem conatus, puta quâ movetur juxta circulum A. B., nullâ ratione impediri

## TRACTATUS

pediri à fundâ, satis lique eum non nisi respectu alterius partis resistentiam pati, illius videlicet quâ moveretur secundum lineam D.V.X.Y. Et consequenter ipsum solummodo tendere, id est, conatum adhibere, ad directè à centro D. recedendum. Notandum etiam, juxta hanc observationem, lapidem cum est in A. usque adeò revera conatum habere tendendi versus E. ut non magis sit dispositus ad progrediendum versus H. quam versus I. quamvis facile permitteremus oppositum ejus nobis persuaderi, si negligemus considerare distinctionem, quæ est inter motum quem omnino habet, & inter conatum ad motum ulteriorem.



Idem,

Idem, quod de lapide illo, concipiendum de secundi Elementi particulis cœlos constituentibus; eas videlicet quæ sunt, Ex: Gr.; versus E., proprio conatu solummodo versus P. tendere; sed resistentiam aliarum cœli particularum supra ipsas hærentium efficere, ut vergant, id est, disponere ut moveantur juxta circulum E. R. & denuo hanc resistentiam, oppositam earum conatui ad motum secundum lineam rectam continuandum, efficere ut tendant, id est, causam esse quod vim adhibeant ad progrediendum versus M. Atque idem de reliquis omnibus ferendo judicium, videre est quo in sensu dici possit, ipsas tendere versus loca directè opposita centro cœli quod constituunt.

Sed præter ea quæ in lapide in fundâ gyrante, in illis adhuc considerandum venit, ipsas perpetuo premi tum \* ab omnibus reliquis <sup>Part.</sup> particulis similibus, quæ sunt inter ipsas & sidus centrum cœli (*id 3. Princ.* <sup>§. 61. &</sup> *est vorticis*) ipsarum occupans, ut & ab ejusdem sideris materiâ, <sup>62.</sup> nullo autem modo à reliquis. Ver: Gr:, particulae existentes versus E. non premuntur ab iis quæ sunt versus M. vel G. aut F. aut versus K. vel H.. sed tantum ab omnibus illis, quæ continentur inter duas lineas A. F. D. G. simulque à materiâ Solis: quod in causâ est cur ipsæ non modo tendant versus M. sed etiam versus L. & N. & generaliter versus omnia puncta, ad quæ pertingere possunt radii aut lineæ rectæ, quæ ab aliquâ Solis parte ductæ transiunt loca in quibus ipsæ sunt.

Sed ut rei hujus expositio facilior sit, considerari velim solas \* se- <sup>\* Ibid. §</sup> cundi Elementi particulæ, & quasi omnia spatia occupata à primi <sup>60.</sup> Elementi materiâ, non minus illud in \* quo Sol est, quâm reliqua, <sup>\* Ibid. §.</sup> forent vacua: quin etiam, cùm melior non detur ratio cognoscendi, <sup>64.</sup> num corpus ab aliis impellatur, nec ne, quâm si attendatur an alia corpora actu versus illum locum tenderent in quo ipsum est, ad eum, si vacuus esset, implendum, concipi etiam velim secundi Elementi particulæ quæ sunt versus E. sublatas esse: quo posito, considerari primo loco velim, nullas ex iis particulis quæ sunt supra circulum F. E. G., quales sunt versus M., aptas esse illarum adimplere locum; cùm contraria prorsus ratione conentur inde recedere. Deinde illas etiam quæ in hoc circulo sunt, puta versus F., non magis ad hoc dispositas esse: licet enim revera ab F. versus G. moveantur convenienter motui totius cœli, quia tamen particulae quæ sunt versus G., eâdem velocitate moventur versus T., spatium F. quod mobile concipiendum est sicuti illæ, non permitteret, ut vacuum daretur inter G. & F. si aliunde aliæ non advenirent ad illud:

implendum; quamvis ipsarum conatus recedendi à puncto S. eas  
 \* Part. 3. utcunque ad hoc disponat; sicuti lapidis \* gravitas eundem dispo-  
 Princ. § nit, non tantum ad rectâ in aëre libero descendendum, sed etiam  
 62. ad obliquè per montis declivitatem rotitandum, si aliâ ratione ne-  
 queat descendere.


Ratio autem, quæ hoc impedit, est, quòd omnis motus quan-  
 tum fieri potest, juxta lineam rectam continuetur; & consequenter si  
 naturæ plures suppetant viæ ad eundem pervenienti effectum,  
 ipsa semper brevissimam sequatur. Si enim Elementi particulæ,  
 quæ sunt, Ex: Gr: versus K., progrederentur versus E., omnes quæ  
 Soli viciniores essent quām hæ, eodem etiam momento tenderent  
 versus locum, quem hæ essent derelicturæ, atque ita effectus mo-  
 tutus earundem foret, implere spatium E. & aliud ejusdem magnitudi-  
 nis in circumferentiâ A. B. C. D. eodem tempore vacuum relinque-  
 re. Sed evidens est eundem hunc effectum multo melius resultare  
 posse, si particulæ contentæ inter lineas A F. D G. rectâ versus  
 E. tendant. Et consequenter cùm nihil detur quod illud impedit,  
 aliae illuc non vergunt; non magis quām lapis versus terræ centrum  
 obliquè descendere conatur, cùm rectâ descendere potest.

Tandem considerandum, omnes secundi Elementi particulæ, quæ  
 sunt inter lineas A F. D G. simul debere moveri versus hoc spatium E.  
 ad illud eodem instanti quo vacuum est implendum. Quamvis e-  
 nim nihil sit, quod ipsas illuc versus adigat, præter ipsarum conatum  
 recedendi à puncto S., idemque conatus efficiat, ut particulæ inter-  
 ceptæ lineis B F. C G. directè magis illuc vergant, quām reliquæ  
 quæ continentur inter lineas A F. B F. & D G. C G. nihilominus  
 tamen animadvertisimus posteriores hasce non minus dispositas esse ad  
 illuc pergendum, quām reliquæ, si attenderimus ad effectum ex  
 earum motu resultantem, qui hic unicus est, ut modo dixi, ut spa-  
 tium E. adimpleatur, & in circumferentiâ A. B. C. D. aliud ejusdem  
 magnitudinis eodem tempore fiat vacuum. Quantum enim ad mu-  
 tationem fitus, quæ ipsis aliis in locis accidit, quæ antea implebant,  
 quæque postea iisdem plena adhuc manent, illa nullius est momenti;  
 quia loca illa supponenda sunt ita æqualia, atque invicem adeò simi-  
 lia, ut nihil intersit quibusnam particulis singula loca sint repleta.  
 Nihilominus observandum, quòd inde concludendum non sit, eas  
 exactè æquales esse, sed tantum quòd motus, qui ipsis inæquales ef-  
 ficeri possint, ad actionem de quâ loquimur non pertineat.

Nulla

Nulla autem brevior via est, quā, dum pars spatii E. impletur, id quod est, Ver: Gr:, versus D. fiat vacuum, quām si omnes particulae, quae sunt in linea rectā DG. vel DE. simul tendant versus E. Si enim aliæ non darentur particulae quae primo versus E. moverentur, quām quae continentur inter lineas BF. CG., ipsæ aliud sub se relinquenter spatium versus V. quod occupare deberent particulae existentes versus D. Adeò ut idem effectus, quem producere potuisset motus materiæ existentis in linea rectā DG. vel DE. efficeretur motu illius, quae est in linea curvâ DV E. quod naturæ legibus adversatur.


Si vero scrupulus sit reliquus circa modum, quo secundi Elementi particulae, quae sunt inter lineas AF. DG. omnes simul versus E. progressi possint, cùm videlicet major sit distantia inter A. & D. quām F. & G., spatium quod ingredi debent multò sit angustius, quām id ē quo exeunt: considerandum actionem, quā à centro sui cœli recedere conantur, non cogere particulas, ad impellendas eas ex proximè adjacentibus, quae in eādem à centro sunt distantiā, sed illas modo, quae gradu inde remotiores sunt. Quemadmodum gravitas



globulorum 1. 2. 3. 4. non cogit eos, qui iisdem notis sunt insigniti ad invicem propellendos; sed eos tantum, qui notati sunt 1. aut 10. constringit, ut incumbendo premant globulos 2. aut 20. atque hos, ut premant 3. aut 30. atque ita porro; adeo ut non solum possint esse:

## TRACTATUS

esse dispositi ut in adjecto schemate septimo, sed etiam ut in octavo, vel nono, & mille aliis modis.




Notandum porro, quòd hæ secundi Elementi particulæ singulæ separatim à reliquis agitatæ, quemadmodum supra diximus iisdem accidere, nunquam ita possint esse dispositæ, sicuti globuli in septimo schemate; & tamen hunc unicum esse casum, in quo proposita difficultas locum habere possit. Non enim vel minimum intervallum inter particulas æqualiter à centro ejusdem cœli distantes supponi potest, quin hoc ipsum sufficiat ad percipiendum, quòd earum conatus recedendi ab hoc centro debeat efficere, ut omnes quæ sunt inter lineas A F. D G. simul tendant versus spatiū E. quando

vacuum est; quemadmodum in nono scheme comparato cum decimo, videmus \* gravitatem globulorum 40. 30. &c. efficere ut omnes simul descendant versus spatiū à globulo 50. occupatum, simul ac inde exire valet.


Perpicuè ex hinc intelligi potest, quâ ratione globuli iisdem

unde

\* Part.  
3. Princ.  
§. 63.



numeris notati sese disponant in spatio, quod angustius est illo,



unde venerunt, videlicet ad invicem accedendo. Animadvertis etiam potest duos globulos 40. paulo celerius debere descendere, ei-que proportiona-liter proprius ad invicem accede-re, quam tres 30., & hi tres magis, quam quatuor 20. atque ita porro.

Præterea dici forte posset, quod, sicuti in decimâ apparet figura, duo globuli 40. 40., ubi tantillulum descenderunt, invicem contingant, ejusque causâ se mutuo impedian, ita ut ulterius descendere nequeant; quod simili etiam modo particulae secundi Elementi quæ progredi deberent versus E. invicem detinebunt, priusquam totum illud adimpleverint spatium, quod ibidem supposuimus.

Verum respondeo, illas non posse vel minimum illuc progredi, quin hoc ipsum fatis sit ad ea quæ dixi plenè evincenda: videlicet cum omne quod ibidem est spatium corpore aliquo, qualecunque illud fuerit, plenum sit, hæ particulae indesinenter corpus illud premunt, & vim ei inferunt, ad illud è loco deturbandum.


\* Præterea respondeo, reliquos illorum motus, quos, interim dum <sup>\* Part. 3.</sup> progrederuntur, versus E. continuant, cum non permittant, ut per <sup>Princ. §.</sup> momentum eodem planè modo dispositæ maneant, mutuum ipsarum contactum impedire, vel potius efficere, ut, postquam invicem contigerint, mox denuo separantur, easque propterea non desinere indesinenter progredi versus spatium E.; donec prorsus repletum fuerit. Adeo ut nihil aliud hinc inferri possit, quam quod impetus quo tendunt versus E. forte tremulus sit, reduplicetur, pluribusqne minoribus conquassationibus imminuat, convenienter mutationi situs earundem; quam putem esse proprietatem Lumini maximè convenientem.

Si itaque omnia hæc ritè percipientur, supposito spatio E. & S., atque omnia exigua intervalla quæ partibus cœli interjacent, quasi vacua esse, melius adhuc intelligi poterunt, si præsupponatur illa primi Elementi materiâ esse repleta. Particulæ enim primi Elementi quæ sunt in spatio E. impedire nequeunt secundi Elementi particulas, lineis A.F. D.G. interceptas, quo minus pergerent ad illud implendum, perinde ac si foret vacuum; cum enim subtilissimæ & maximè mobiles sint, semper quoque paratae sunt ad deserenda loca in quibus sunt, simul ac aliud fuerit corpus quod illud subire queat. Eadē quoque de causâ particulæ, occupantes exigua intervalla cœli particulis interjecta, loca sua, minimè resistendo, iis concedunt, quæ è spatio E. veniunt & versus S. se se conferunt. Versus S. dico potius, quam versus alium locum; quia reliqua corpora, quæ, cum magis unita, & majora sint, plus habent virium, inde conantur recedere.



Observandum quoque ab E. versus S. progredi inter secundi Elementi particulas, quæ vergunt ab S. versus E., ita ut impedimento invicem non sint, quemadmodum aër clepsammidio X. Y. Z. inclusus à Z. versus X. adscendit per arenam Y., quæ interim non definit propterea descendere versus Z.

Tandem primi Elementi particulæ quæ sunt in spatio A.B.C.D. ubi corpus Solis constituant, rapidissimè circum punctum S. gyrantes, versus omnem partem juxta lineam rectum recedere conantur, secundum ea quæ exposui, eoque mediante omnes, quæ sunt in linea S.D. simul propellunt secundi Elementi particulam quæ est in D., quæque sunt in linea S.A. propellunt particulam A. atque ita reliquæ. Adeo ut hoc solum sufficeret, ad efficiendum, ut omnes particulæ secundi Elementi, quæ sunt inter lineas A.F. D.G., sint processuræ versus spatiū E. etiam si nullum ad hoc conatum haberent. Præterea, cum ipsæ etiam versus spatiū E. tendere debeant, quando unicè à primi Elementi materiâ occupatum est, certum est, ipsas quoque habere conatum eo vergendi, quamvis alio corpore repletum sit, & consequenter ipsas impetum facere in corpus illud, ad id quasi è loco deturbandum. Adeo ut, posito hominis oculo in E., revera ille moveretur tam à Sole, quam ab omni materiâ cœlesti quæ est inter lineas A.F. D.G.




Sciendum quoque, quod novi hujus mundi homines illius erunt naturae, ut, si eorum oculi hac ratione affiantur, ipsi sint habiti sensum per omnia illi similem, quem nos de lumine habemus, ut postea fusius sum dicturus.

## CAPUT XIV.

*De Proprietatibus Luminis.*

**V**erum parumper adhuc inhærendum erit expositioni proprietatum illius actionis, quâ oculi dicto modo affici possunt: illæ enim omnes adeò exactè iis respondent quæ in Lumine observamus,



ut

ut iis perspectis certo mihi persuadeam, mecum concedendum esse, haud opus esse in sideribus, vel cœlis, alias imaginari qualitates, quām actionem Luminis nomine dotatam.

Præcipuae ejus proprietates sunt. 1. Quod in orbem quaquaversum sese diffundat, circum corpora quæ dicuntur Lucida. 2. Et ad omnem distantiam. 3. Et intra momentum. 4. Perpetuo secundum lineas rectas, quas pro luminis radiis habere oportet. 5. Et quod plures radii, à diversis procedentes punctis, in uno eodemque puncto coire possint. 6. Vel ab uno eodemque venientes in plura abire possint. 7. Quodve à diversis venientes, & versus diversa procedentes, idem transire queant, absque mutuo impedimento. 8. Quodque interdum etiam invicem impedire possint, cum vide-licet ipsorum vires valde sunt inæquales. 9. Tandemque quod deflectere queant per reflexionem. 10. Aut refractionem. 11. Et vis eorum augeri. 12. Aut imminui propter materiae radios recipientis varias dispositiones, aut qualitates.


Atque hæ sunt præcipuae qualitates, quas observamus in Lumen, quæ omnes isti actioni convenient, ut jam videbimus.

1. Actionem hanc versus omnes plagas circa corpus lucidum sese extendere, ejus ratio evidens est, cum à circulari corundem corporum motu procedat.


2. Manifestum etiam est, eam sese ad quamcumque distantiam extenderet, supposito enim, Ex: Gr:, cœlestes particulas quæ sunt inter A F. & D G. omnino dispositas esse ad progrediendum versus E., sicuti obtinere diximus, dubitare non licet quin impetus ille, quo Sol eas impellit, quæ sunt versus A. B. C. D., debeat quoque se extendere ad E. usque, quamvis etiam alterum eorum magis distet ab altero, quām remotissimæ Firmamenti Stellaræ à nobis.

3. Cum sciamus secundi Elementi particulas, quæ sunt inter A F. & D G., se invicem quantum fieri potest contingere & premere, dubitari nequit quin actio, quā primæ impelluntur, ad extremas usque intra momentum pertingere debeat; eodem \* modo, quo \* *Diopt.* cap. I. §. actio unam baculi extremitatem attingens eodem instanti ad alteram utque transit; vel potius, ne quis difficultatem moveat, propterea 3. quod hæ particulæ, sicuti partes baculi, sibi mutuo non cohærent, eadem prorsus ratione, quā in nono schemate, globulo 50. descendente versus 6., eodem momento reliqui 10. notati illuc versus etiam descendunt.

## TRACTATUS



corpus lucidum agat in id quod illuminat; proindeque eas esse conciendas exactè rectas, etiam si secundi Elementi particulæ, transmissioni Luminis inservientes, nunquam fere ita directè invicem respondeant, ut lineam omnino rectam efficiant. Sicuti facile est concipere, manum



\*Dio ptr.  
c. 1. §. 8.




A. propellere corpus E. secundum lineam rectam AE. quamvis illud propellat subsidio incurvi baculi B C D., eademeque ratione quâ globulus 1. propellit globulum 7. interventu duorum 5. 5. non minus rectè, quam ope reliquorum 2. 3. 4. 6.

5. & 6. Facile etiam percipi potest, quomodo plures radii à diversis punctis procedentes in uno eodemque coire possint, quive ab uno \* eodemque veniunt, in plura abire queant, absque mutuo impedimento, vel ab altero dependentiæ; quemadmodum in sexto schemate, radii venientes à punctis A. B. C. D. coèunt in puncto E. pluresque à solo punto D. procedentes sese diffundunt, nonnulli versus E. alii versus K. & infinita alia loca. Perinde atque impetus, quo attrahuntur chordæ 1. 2. 3. 4. 5. omnis colligitur in trochleâ 15. illiusque trochleæ resistentia sese extendit ad omnes manus chordas attrahentes.

7. Sed

7. Sed ad \* percipiendum quo modo plures radii, ex diversis pun-  
ctis venientes, & ad diversa tendentes, unum idemque punctum trans-  
ire queant absque mutuo impedi- \* Dioptr.  
cap. 1. §.




melius adhuc percipi poterit, si considereremus aërem eodem tempore

propelli posse ab F. versus G., ab H. versus I., & à K. versus L. per  
tres tubulos F G. H I. K L., quamvis illi tubuli in puncto N.  
cum in modum sint uniti, ut omnis  
aëris, qui illo transit singulos, né-  
cessario etiam transire debeat in-  
termedium reliquorum duorum.

8. Eadem hæc comparatio in-  
servire potest ad exponendum,  
quomodo vividum Luminare ef-  
fectum debiliorum impedit: si

enim efficacius aërem per F. quam per H. aut per K. propellamus,  
nullo modo verget ille versus I. aut versus L. sed tantum versus G.

9. & 10. Quantum ad reflexionem & refractionem, satis super-  
que alibi hæc exposui: nihilominus tamen, cùm ibidem exemplo  
motus pilæ usus fuerit, vice ejus quod de Radiis Luminis loque-  
retur, quo dissertatio mea eodem mediante melius percipiatur, hic con-  
siderandum adhuc restat, actionem sive conatum ad motum, de u-  
no corpore in aliud transeuntem, ope plurium corporum invicem  
contiguorum, & sine interruptione occurrentium in quovis spatio  
intermedio, exactè eandem sequi viam, per quam primum eorundem  
corporum moveri posset, si reliqua ipsi non forent impedimen-  
to, adeo ut nihil inter ea discriminis sit nisi quòd ad corporis mo-  
tum.



## TRACTATUS

tum tempus requiratur, cum actio ejus interventu corporum contiguorum in instanti ad quamcumque distantiam se extendere queat; & consequenter, sicuti pila in sphæristerii parietem impulsâ reflectitur, & obliquè aquam ingressa vel egressa refractionem patitur; similiter quoque radios Luminis in corpus incidentes, quod ulterior.

\* Dioptr. ri \* illorum motui impedimento est, debere reflecti; & obliquè medium ingressos, per quod facilius aut difficilius tene diffundere possunt, quam per illud è quo venerunt, factâ mutatione deflectere, & refractionem pati debere.

11. & 12. Tandem Luminis vis non modo major aut minor singulis in locis est, pro numero radiorum coëuntium, sed etiam augei vel imminui potest pro variâ \* dispositione corporum occurserint iis in locis quæ transiunt, sicuti celeritas motus pilæ, aut lapidis per aërem projecti, augeri potest vento versus eandem plagam spirante, ad quam hic movetur, ejusque opposito imminui.


## CAPUT XV. &amp; Ultimum.

*De Solis Siderumque ratione agendi in oculos nostros.*


**T**raditâ itaque naturâ & proprietate actionis, quam pro Lumen habui, necessum est ut etiam explicem quâ ratione ipso me-

diante incolæ Planetæ, quem Terram esse supposui, cœli sui faciem, planè similem nostri, cernere queant.

Primo nullum est dubium quin cernere debeant corpus S. omnino lucidum, & Soli nostro simile; cum corpus illud ab omnibus \* superficie tuæ punctis radios versus ipsorum oculos mittat:




tat: & cum multò ipsis propior sit, quam Stellæ, multò etiam major ipsis apparere debet. Verum est particulæ parvi cœli A. B. C. D. gyrrantis circum terram radiis ejus ut cur que resistere; sed cum omnes magni cœli particulæ, quæ sunt ab S. usque ad D., illas intendant, non nisi parum admodum eorundem viribus subducere valent illi, qui sunt à D. usque ad T. dum hi illorum respectu pauci sunt numero: quin etiam omnis actio particularum magni cœli F. G. G. F. non sufficit ad impediendum, ne plurimarum Stellarum fixarum radii ad illam usque partem terræ deveniant, quæ non est à Sole illuminata.



Sciendum enim magnos cœlos (*si-  
ve vortices*), id est, eos qui Stellam fixam, aut Solem pro centro habent, quamvis forte magnitudine multum differant, semper debere \* \* *Part. 3.  
Princ. § 114.*  
viribus æquales esse; adeo ut omnis materia, quæ, Ex: Gr:, est in linea S B. tendat versus S. adeo efficaciter, quam ea quæ est in linea e B. tendit versus S. Si enim

hæc virium æqualitas in ipsis non obtineret , dubio procul brevi tempore invicem destruerent , vel saltem mutarentur , usque dum illam acquisivissent.

Quoniam itaque omnis efficacia, Verb: Gr:, radii S. B. præcisè æqualis est efficaciae radii e B., manifestum est vim radii minoris T B. non posse impedire quod vis radii e B. fese ad T. usque extendat; similiterque quod stella A. radios suos ad terram T. possit diffundere; quia cœlestis materia quæ est ab A. ad 2. eos magis promovet, quam illa quæ est à 4. ad T. iisdem resistit. Et præterea, cum illa quæ est



à 3. ad 4. illos non minus adjuvet, quām iisdem resistit ea quæ est  
à 3. ad 2. Idemque de reliquis proportionaliter ferendo judicium,  
percipi potest, stellas hanc non minus inordinate dispositas, neque  
minori

minori in numero, nec minus magnitudine inter se inæquales apparituras esse, quam illæ quas in vero cernimus mundo.

Præterea necessum est, respectu dispositionis earundem considerare, \* quod fere nunquam iis in locis apparere possint in quibus re- \* Part. 3. vera sunt. Nam, Ex: Gr.: stella e. apparet tanquam si esset in linea Princ. §. rectâ T B. & altera A. tanquam in linea T 4. cuius rei ratio est, <sup>131.</sup> quod, cum coeli magnitudine sint inæquales, superficies eos separantes nunquam eum in modum sunt dispositæ, ut radii qui ipsas transeunt, dum à sideribus versus Terram feruntur, ad angulos retos in eas incident; & cum obliquè in eas impingunt, certum est, secundum illa quæ in Dioptricis demonstrata sunt, ipsos incurvare, magnamque pati refractionem; cum multò facilius unam quam alteram ejusdem superficie partem transeat. Lineæ etiam TB. T 4. similesque, si conferantur \* cum diametro circuli quem Terra circum \* Ibid. §. Solem describit, supponendæ sunt longitudinis tam immensæ, ut <sup>4.</sup> in quacunque circuli illius parte fuerit, homines in ipsâ degentes stellas semper sint visuri tanquam fixas, iisdemque Firmamenti partibus annexas, id est, ut Astronomorum utar terminis, ut nulla in iis detegi queat parallaxis.

Circa Stellarum itidem numerum considerandum, \* unam can- \* Ibid. §. demque Stellam frequenter posse in diversis locis apparere propter <sup>131.</sup> superficerum, radios ipsarum versus Terram reflectentium, diversitatem: uti hic Stella A. apparet in linea T 4. ope radii A 24 T. simulque in linea T 5. interventu radii A 65 T., sicuti multiplicantur objecta, quæ per diversa vitra, aliave transparentia corpora, pluribus superficiebus instructa, cernuntur.

Circa earum magnitudinem, considerandum ulterius, quod, etiam si propter immensam sui distantiam multò minores debeant apparere, quam revera sunt; imo licet eadem de causâ plurimæ earundem nullo modo apparere debeant, & reliquæ non apparent, nisi in quantum plurium radii uniti firmamenti quod transeunt partem utcunque albicantem reddunt, similesque sunt Stellis, quas Astronomi Nubeculas vocant, aut magno coeli nostri Cingulo, quod Poëtae Junonis lacte dealbatum fingunt; quod tamen eas spectat quæ minus distant, sufficit eas Soli præter propter æquales supponere, ad statuendum quod illius magnitudinis apparere possint, cuius maximæ Mundi nostri videntur.

Præterquam enim quod generaliter quævis corpora, vividiores in


oculos intuentium mittentia radios, quām corpora ambientia, huic convenienter ipsis etiam majora appareant, & consequenter Stellæ majores semper videri debeant, quām partes cœli magnitudine ipsis æquales, ut postea explicabo, superficies F. G. H. I. similesque, in quibus radii refringuntur, eum in modum incurvari possunt, ut magnitudinem ipsarum multum adaugeant, quin etiam si tantum plane fuerint eam augent. Insuper admodum vero simile est, quod cūm hæ superficies sint in materiâ valde fluidâ, & quæ moveri nunquam cessat, semper debeant fluctuare, & nonnihil undulare, ac consequenter Stellæ, quas cernimus per illas, non minus quām nostræ scintillantes apparere, ac veluti tremulæ, hujusque tremoris ergo utcunque majores; sicuti imagini Lunæ accidit in ripâ lacus, cujus aqua non validè est commota, sed flatu venti non nihil tantum agitata.

Ultimo fieri potest, ut tractu temporis hæ superficies utcunque immutentur, vel etiam ut nonnullæ intra breve tempus admodum incurventur, licet illud tantum fiat occasione appropinquantis Cometæ, utque hac ratione multæ Stellæ aliquantulum loco non item magnitudine videantur mutatae post longum temporis intervallum, vel etiam ratione magnitudinis, non autem respectu loci, veletiam ut nonnullæ ex improviso apparere vel disparere incipient, sicuti in vero Mundo contingere videmus.

Quantum ad Planetas & Cometas in eodem cœlo existentes in quo Sol est, cūm constet tertii Elementi particulas ipsos constituentes adeò esse densas, eumve in modum invicem unitas, ut lumenis actioni resistere possint; facile est percipere, ipsos ope radiorum à Sole ad illos delatorum, atque ab iisdem versus Terram reflexorum apparere; sicuti objecta opaca & obscura, quæ in conclavis sunt, cerni ibidem poslunt mediantibus radiis ab illuminante face illuc ablegatis, indeque ad inspectantium oculos redeuntibus. Et multo hac in parte potior est radiorum Solarium conditio, quām ardantis facis, cūm vis eorum conservetur, vel etiam magis magisque augeatur pro ratione ejus quòd à Sole recedunt, donec ad extimam superficiem devenerint; cūm omnis illius cœli materia illuc vergat, facis è contra radii recedendo debiliores evadant, pro magnitudine superficierum sphæricarum quas illuminant, atque etiam paulo magis propter aëris quem transeunt resistentiam; quo fit, ut objecta faci huic vicina multo magis illustrentur, quām remotiora, atque inferiores


riores Planetæ pro eâdem ratione non magis à Sole illuminati sint, quâm superiores, neque etiam quâm Cometæ, qui citra omnem controversiam ab illo remotiores sunt.

Simile quid in vero etiam Mundo obtainere experientia evincit, & tamen non credo, rationem ejus reddi posse, supposito lumen aliud quid esse in objectis, quâm ejusmodi actionem aut dispositiōnem, qualem exposui. Actionem dico, aut dispositionem; observato enim illo quod jam dedi demonstratum, quòd \* vacuo exi-<sup>\* Part. 3.</sup>  
stente spatio, in quo Sol est, cœli ejusdem partes versus oculos spe-<sup>Princ. §.</sup>  
stantium tenderent eâdem ratione, quâm cum ab illius materiâ im-<sup>64</sup>  
pelluntur, & æquali ferme cum impetu; percipi quidem poterit, haud opus esse, ut aliquam in se actionem habeat, neque etiam ut quid aliud sit, quâm merum spatium, ut qualem ipsum videmus apparet, quod antea forte pro paradoxo haberetur. Cæterum horum Planetarum motus circa centrum scintillationis eorundem causa est, sed quæ multò sit debilior, & aliter se habeat, quâm Stellarum fixarum; cumque Luna illo motu caret, non scintillat.



\* Part. 3. Cometas \* quod spectat, qui non sunt in eo dem cœlo, in quo  
 Princ. §. est Sol, illi nullâ ratione tot radios versus Terram ablegare possunt,  
 132. quâm si in hoc cœlo existerent, quin etiam ne quidem cùm in pro-  
 cinctu sunt ad illud ingrediendum, neque consequenter ab homini-  
 bus conspici possunt, nisi forsan utecumque, quando magnitudo eo-  
 rum præterordinaria est. Cujus ratio est, quòd maxima pars ra-  
 diorum versus ipsos ablegatorum huc & illuc dispergantur, & quasi  
 dissipentur per refractionem quam patiuntur in eâ Firmamenti par-  
 te, quam transuent. Nam, Ex: Gr:, loco ejus quòd Cometa CD.  
 à Sole 5. omnes illos recipere radios, qui intercipiuntur inter lineas  
 SC. S D., & versus Terram illos reflecteret, qui sunt inter lineas  
 CT. D T., concipiendum Cometam EF. eos tantum à Sole ra-  
 dios recipere, qui sunt inter lineas S G E., & S H F., quia,  
 dum multo facilius ab S. pergunt usque ad superficiem G H., quæ  
 pro parte quâdam firmamenti habenda est, quâm ulterius procede-  
 re possunt, permagna ibidem & valida radiorum debet esse refrac-  
 tio foras, quo multi avertuntur, ne inde versus Cometam EF.  
 vergant; præprimis cùm superficies ista introrsum versus Solem in-  
 curvata sit, uti notum est ipsam debere incurvari, quando Cometa  
 ipsam adpropinquat. Vel etiam si omnino plana, aut oppositâ ra-  
 tione incurvata esset superficies, refractio maximam partem radio-  
 rum à Sole versus ipsam delatorum impediret, si non ad pergen-  
 dum versus Cometam, saltem ne inde usque ad Terram redeant. Ut, Ex: Gr:, supposito partem Firmamenti IK. partem esse sphæ-  
 ræ, cujus centrum sit in S., radii SKM. procedentes versus Co-  
 metam LM. nullo modo ibidem incurvantur, sed illud compensa-  
 tur, dum redeuntes versus Terram multum incurventur, adeo ut  
 non nisi debiles admodum & perpauci illuc pervenire queant. Præ-  
 terea, cùm illud evenire nequeat, nisi cùm Cometa longe satis di-  
 stat à cœlo Solem continente, impedit quoque ejusdem distantia,  
 quo minus tam multos ab illo recipiat radios, quâm cùm paratus est  
 illud intrare. Et quantum ad radios quos ab illâ Stellâ fixâ recipit,  
 quæ est in centro illius cœli in quo ipse est, non magis illos versus  
 Terram reflectere potest, quâm Luna cùm est nova illuc remittere  
 Solis.

Sed quod circa Cometas notatu magis dignum occurrit, est spe-  
 \* Part. 3. cialis radiorum refractio, quæ passim causa est, quòd nonnulli ap-  
 Princ. §. pareant caudati, aut crines circum ipsos fulgentes. Quod \* per-  
 136. cipi




cipi facile poterit, si haec attendatur figura, in quā S. Sol est. C. Cometa. E B G. sphæra, quæ, secundum illa quæ ante dicta sunt, constat ex maximis, & omnium minimè mobilibus secundi Elementi particulis, & D. A. orbita, quā motu annuo Terra describit; & concipiatur quod radii venientes à C. ad B. recta quidem pergent usque ad A. sed præterea quoque incipient in B. dispergi, & in alios plures radios subdividi, qui huc & illuc ab omni parte se se extendant; adeo ut eorum singulitatem sint debiliores, quantam magis à medio B A., qui omnium præcipuus, & vividissimus est, deflecentur. Deinde etiam quod radius C E. cùm pervenerit ad E. dispergatur, & dividatur in plures, uti E H. E Y. E S. Atque etiam quod C G. primario tendat à G. versus I., sed insuper quoque dispergatur versus S. & versus omnia spatia quæ sunt inter G I. & G S. Tandemque omnes radios, qui inter hosce tres C E. C B. C G. concipi possunt, plus aut minus de naturâ uniuscujusque horum retinere, prout magis aut minus ipsi propinquui fuerint. Quibus adjici poslet, ipsos nonnihil debere versus Solem incurvari, sed hoc ad propositum meum omnino necessarium non est, & frequenter multa prætereo, ut ea quæ explico simpliciora, & faciliora efficerem.

Suppositâ itaque hac refractione, manifestum est, existente Terra in A., non tantum radium B A. hominibus in illâ degentibus exhibitorum corpus Cometae C., sed etiam radios L A. K A. & similes, qui minus sunt vividi quam B A. in oculos ipsorum incidentes, repræsentaturos coronam, aut comam Luminis, in omnes partes circa ipsum æqualiter dispersam, uti videre est in 11. saltē, si satis fuerint vividi ut cerni queant, cujusmodi plerumque sunt radii venientes à Comete, quos supposuimus valde magnos esse, non itidem qui procedunt à Planetis, neque ab ipsis Stellis fixis, quos multo minores imaginari oportet.

Evidens quoque est, quod si Terra sit in M. & Cometa appareat interveniente radio C K M., ejusdem comam apparituram ope radii Q M, reliquorumque omnium qui tendunt versus M., adeo ut longius quam ante extendatur versus partem Soli oppositam, & minus aut nihil omnino versus eam, quæ Solem respicit, uti videre est in 22., quâ ratione dum semper apparet, magis \* magisque in parte à Sole aversâ, pro ratione distantiae Terræ à puncto A. paulatim figuram comæ amittit, & in oblongam caudam transmutatur, quam Cometa

meta post se trahit: uti existente Terrâ in D. radii Q. D. V. D. effi-  
cient ut apparitura sit similis 33. & Terrâ existente in O. radii  
V. O. E. O. similesque eam veluti longiorem sunt exhibituri: tan-  
demque \* si fuerit Terra in Y. non amplius videri poterit Cometa, \* Ibid. §.  
propter Solis interpositionem; verùm radii V. Y. E. Y. similesque,<sup>137.</sup>  
ejusdem caudam sub formâ trabis, vel hastæ ardantis adhuc exhi-  
bebunt, qualis est 44. Et notandum quòd \* cùm etiam E. B. G. non \* Ibid. §.  
semper exactè sit rotunda, uti nec reliquæ quas complectitur, uti <sup>82. &</sup>  
facile judicari potest ex iis quæ tradidimus, hasce \* caudas, vel \* Ibid. §.  
igneas trabes non semper præcisè rectas apparere, neque in eodem <sup>138.</sup>  
prosorsus plano, in quo Sol est.

Refractionem quod attinet quæ horum omnium causa est, fateor  
eam esse naturæ admodum peculiaris, & valde diversæ ab omnibus  
illis, quæ vulgo in aliis locis observantur, sed evidenter tamen pa-



tebit ipsam debere eo modo contingere, quem descripsi, si \* con. \* Part.  
sideretur globum H. propulsum versus I. eo etiam propellere omnes 3. Prince-  
hisce §. 135.

hisce inferiores, ad K. usque, hunc autem, cùm cingatur multis aliis minoribus, veluti 4. 5. 6. nullum nisi 5. adigere versus I. atque interim pellere 4. versus L. & 6. versus M. & sic reliquos : ita tam  
enim ut intermedium globulum 5. multò efficacius propellat, quām reliquos 4. 6. similesque qui sunt versus latera.

*\* Part. 3.  
Princ. §.  
136.* Ac eodem planè modo globum N. propulsum versus L. protrudere exiguos globulos 1. 2. 3. unum versus L. alterum versus I. & alium versus M. Hoc tamen cum discrimine, quod omnium efficacissimè impellat 1. & non intermedium 2. Et præterea, quod parvi globuli 1. 2. 3. 4. &c. omnes simul eâ ratione ab aliis globis N. H. P. impulsi invicem impediant, ne eâdem facilitate possint vergere versus latera L. & M. quām versus medium I. adeo ut si totum illud spatum L I M. parvis ejusmodi globulis esset repletum, actionis ipsorum radii distri-  
buerentur eodem modo, sicuti dixi Cometarum radiis accidere in orbitâ E B G.

Quibus \* si objiciatur, inæqualitatem inter globos N. H. P. & 1. 2. 3. 4. intercedentem multò majorem esse illâ, quam supposui intercedere inter secundi Elementi particulas, constituentes orbitam E B G. & inter eas, quae immediatè ipsis subjacent versus Solem: respondeo, aliam inde consequentiam elici non posse, quām quod in hac orbitâ E B G. tanta fieri nequeat refractio, quanta in illâ quam constituant globuli 1. 2. 3. 4. &c. Verum quoniam magnitudine etiam inæquales sunt particulae secundi Elementi, immediatè sub hac orbitâ E B G. constitutæ, ut & illæ, quae hisce inferiores sunt versus Solem, gradatim intenditur illa refractio, pro ratione quod radii penetrant ulterius; adeo ut tanta quidem, veletiam major pos-  
sit esse refractio, ubi ad orbitam Terræ D A F. pervenerint radii, quām actionis quâ parvi globuli 1. 2. 3. 4. &c. impelluntur. Est enim admodum verosimile, secundi Elementi particulas quae sunt versus hanc Terræ D A F. orbitam non esse minus exiles, si cum illis com-  
parentur, quae sunt versus sphæram E B G. quām sunt globuli 1. 2. 3. 4. &c. respectu aliorum globulorum N. P. H. P.

F I N I S.

IN-

# I N D E X

*Capitum hujus*

## T R A C T A T U S.

- CAP. I. *De differentiâ sensuum, & rerum eos afficien-  
tium.*
- II. *Quid in igne sit Ardere, Calefacere, Lucere.*
- III. *De diversitate, duratione, & causâ motus, ut &  
de duritie & fluiditate corporum, in quibus ille oc-  
currit.*
- IV. *Quale de vacuo judicium sit ferendum: & quam  
ob rationem sensus nostri quadam corpora non perci-  
piant.*
- V. *Quatuor Elementa revocantur ad tria, additâ eorum  
explicatione, & probatione.*
- VI. *Novi Mundi descriptio, qui cognitu maxime facilis  
est; nihilominus tamen illi in quo degimus dissimilis;  
vel etiam similis chaos, quod Poëta finxerunt praece-  
sisse.*
- VII. *Quibus legibus, quibusve modis Mundi hujus par-  
tes ex chao, ex confusione & chao, in quâ fuerant,  
extricatae sint.*
- VIII. *Quâ ratione in Mundo ante descripto Sol &  
Stella generentur.*
- IX. *De Cometarum, Planetarumque Origine, Motu,  
reliquisque Proprietatibus in genere; & de Cometis in  
specie.*
- X. *Expositio Planetarum, preprimis Terra atque  
Lunæ.*
- XI. *De Gravitate.*
- XII. *De*

I N D E X.

- XII. *De Fluxu & Refluxu Maris.*  
XIII. *In quo consistat natura Luminis.*  
XIV. *De Proprietatibus Luminis.*  
XV. & Ultimum. *De Solis Siderumque agendi ratione  
in oculos nostros.*

